



~~77~~

U. U. 5.





ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

PHILOS. D. AA. LL. M.

SCHOLIA

IN

VETVS TESTAMENTVM

---

TOMVS TERTIVS

IESAIAE VATICINIA COMPLECTENS



---

SECTIO TERTIA

---

LIPSIAE

SVMTV IOH. AMBROS. BARTH

M D C C X C I I I.



3916

92. 342



---

**D**uabus potissimum partibus is, qui a Iesaja nomen gerit, liber constat: quarum prior (usque ad Cap. XXXV.) multa et varia continet oracula de gentis Hebraicae fatis, deque regnorum finitimorum perversiōibus: posterior autem \*) (quam quidem a Iesaja non esse profectam, sed additam ab alio quodam sub prisci vatis celebris nomine, docet res ipsa, quum unice subsistat in liberatione a Babylonico imperio atque reditu in patriam) manifeste opposita est aliarum gentium diis et oraculis. Etenim aperte id agit, ut cum ex iis, quae praecesserunt oraculis, tum maxime ex reipublicae Iudaicae restaurandae, Babylonicae vero destruendae

\* 2

\*) Inde a Cap. XL. ad fin. Quae a Cap. XXXVI. inserta sunt ex Regum libris, eo haud dubie consilio huic Iesajae libro sunt intexta, ut omnia quae ad Iesaiam pertinerent, in Annalibus memoriae mandata, in eo libro, qui sub eius nomine vulgabatur, una collecta extarent,

endae praedictione, Iehovae ostendat divinitatem, vanitatem vero idolorum: id quod disertis verbis legitur Cap. XLI. 21. seqq. XLIII, 9—13. XLIV, 7. seqq. 26. seqq. XLV, 19. 21. XLVI, 10. XLVIII, 4—8. 16. Et res quidem, quas is tractat, qui posteriorem hunc librum composuit, et per vaticinii modum ita intexuit, ut a celebri olim vate omnia praedicta viderentur, fere sunt hae: reditus Israelitarum ex terris exteris; idolorum vanitas et excidium; Iehovae potentiae et veritatis vindiciae; Israelitarum consolatio et revocatio in patriam; principis eius, qui domum revertendi potestatem illis fecerit, cuiusque auspiciis restauranda fuerit respublica Iudaica, laudes summae; everfionis rerum Iudaicarum per Chaldaeos, caussa, impietas in Iehovam et scelera; novae reipublicae felicissima conditio. Quibus omnibus noster plenus ex una sententia in alteram labitur, nullis artis legibus coercitus. Partem priorem huius libri in plura esse dissectanda segmenta, docet res ipsa,

cum



cum plerumque singulis oraculis inscriptum sit, de quonam canant: in parte hac posteriori omnia inter se cōhaerent, id quod in interpretatione satis a me ostensum esse censeo. Non imprudenter quoque is, qui hunc librum sub Iesaiæ nomine composuit, quaedam inseruit, quae id agunt, ut vati auctoritatem concilient, eumque ut hominem a numine afflatum sistant; veluti XL, 6. XLII, 1 — 7. XLIV, 26. XLVIII, 16. XLIX, 1 — 9. L, 4 — 7. LII, 13 — LIII, 12. LIX, 21. LXI, 1. cum quibus conferri possunt ex priori libri parte haec loca: VI. VIII, 16. 17. 19. Sed omnem nostram tam de hoc libro, quam universe de iis Hebraeorum libris, qui vaticinia continent atque oracula, sententiam hic exponere, quoniam plura vetant; alii id loco et tempori reservamus.

Restat, ut breviter dicam, qua ratione in hac libri Iesaiæ parte tractanda sim versatus. Atque primo quidem, quoniam id egi, ut ipsa

interpretatione ostenderem, quam clara luce appareat hic liber, si eam, quam ipse de eius indole et scopo attuli sententiam, sequaris, aliorum interpretum sententiis recensendis atque examinandis lectores non distinendos putavimus. Sed dici vix potest, quam inanem operam in hac libri particula explicanda navaverint Christiani interpretes. Vaticinationes de ecclesiae Christianae fati fere ubique in illa expressas esse, plerique statuunt. Horum igitur hariolationes sine damno ignorabimus. Eo maiorem diligentiam posui tam in sententiarum sensu nexuque declarando, quam in ea, quam dicere solent, grammatica interpretatione: ubi tamen lectorem non morandum existimavi tritis observationibus de singulorum vocabulorum significationibus, quales e Lexico quisque sibi ipse colligere potest; nec perturbandum novis vocabulorum notionibus, ope Goliani et Castelliani Lexici ex ingenio fictis, in qua quidem inani opera mirum est quantopere hodie nostratium

nonnulli sibi placeant: verum hoc potissimum studebam, ut, ubi aliquid difficultatis esset, integrarum locutionum vim et nexum ex lingua Hebraeae indole et ingenio declararem. Cetera quae ad litterae sensum pertinent, boni Lexici ope abunde cognosci poterunt ex versione. Retinui vero plerumque et in hac parte Dathianam. Meliorem enim vix dare potui: deterior lectores parum iuvasset.

Ut appendicis loco quaedam adderem ex Hebraeorum quorundam eruditorum commentariis, cum plures aliae causae me moverunt, tum maxime haec, ut ii, quibus illorum commentariorum ratio et indoles ignota esset, exemplo quodam intelligerent, non adeo insipientes atque nugarum plenos illos esse, ut nonnulli clamant, qui eos ne inspexerunt quidem, nec, si inspicerent, intelligere possent. Quod non ita intelligi velim, quasi ex Hebraeis interpretibus vocum Hebraicarum significationes,

tanquam

tanquam ex fonte, cognoscendas censerem: cuius opinionis vanitatem iam pridem ostendit Schultenius: sed hoc dico, multa inesse Kimchii, Aben-Esrae, Iarchii, Abarbenelis, aliorumque commentariis, quae digna sint, ut eruantur, atque perpendantur. Quod ipsum a magnis illis Philologiae Orientalis statoribus, ED. POCOCKIO, BOCHARTO, RELANDO aliisque, factum fuisse videmus, hodie vero immerito plane negligitur.

Scribebam Lipsiae, ineuntibus nundinis autumnalibus Anni MDCCXCIII.

## CAP. XL.

1. 2. **P**oenis, quae populo Israelitico luendae erant, solutis, Iehova nunc gentem afflictam laetiorum temporum promissionibus erigere iubet. Qui vero populum consolari iubentur, sunt *prophetae*, quod recte supplevit Chaldaeus.

2. (דברו על לב ירושלם) Ad verbum: *Loquimini ad cor Ierusalem*, id est, verbis blandis lenite moestitiam eius. Significatur hac phrasi omnino oratio, quae aut animum moestum ab angore liberat, aut voluptate perfundit: veluti Genes. XXXIV, 3. וידבר על לב הנער, *locutus est ad cor puellae*, ubi bene Vulgatus, *tristemque delinivit blanditiis*. Et 2 Paral. XXXII, 7. cum Iudaei imminente iam Assyrio graviter essent affecti, tum Ezechias *locutus est ad cor eorum, dicens, viriliter agite, et confortamini*. Cf. Ruth II, 13. (קראו אליה כי מלאה צבאה) Vox צבא a significatione *exercitus, agminis militum*, transfertur ad quamlibet *stationem molestam*, certo tempore circumscriptam, qualis est *statio militaris*: sic Numeror. IV, 23. VIII, 24. 25. stationes et functiones sacerdotum, tempore certo definitae, quibus sacerdotes singuli militum instar, suo ordine positi fungebantur, hac ipsa voce צבא designantur. Hinc Iob. VII, 1. XIV. 14. eadem adhibetur de vita humana, cum statione molesta et laboriosa comparata. Hoc nostro loco manifeste indicatur tempus exilii Babylonici. (כי נרצה עונה) Verbum רצה, quod apud Hebraeos in Coniugatione *Cal* denotat, *acceptum habuit*, Arabibus in coniugationibus transitiuis, secunda et quarta, *contentum reddidit*, seu aliis verbis, *dedit, quod placeret*, significat; contentum enim debitorum reddimus, debitum rependentes. Et hac significatione

*Ies. Var.* F ff *verbum*

verbum Hebraicum saepe occurrit in libris Mosaicis ירצו; ירצו עונתם rependent culpam suam. id est, *luent peccatorum suorum culpam*. Sicque et hoc loco sumendum est, *poenae peccatorum suorum solutae sunt*. Explicationis quasi gratia additur: כִּי לָקַח מִיַּד יְהוָה כַּפְּלִיּוֹת בְּכֹל-חַטָּאתָיו: *quoniam accepit ex manu Iehovae duplum pro omnibus peccatis suis*, i. e. duplum poenarum dedit, fatis gravem a Iehova suscepit poenam pro scelerum mensura.

3. 4. 5. Incipit tractatio ipsa. Exilii Babylonici finis instat. Revertitur populus, Iehova ipso duce, cui excipiendis viæ publicae sunt instaurandae, quemadmodum regibus, aut magni nominis principibus, cum iter ingrediuntur, complanari solent viæ. (בְּמַדְבַּר כְּנֹר דֶּרֶךְ יְהוָה. Quid in deserto via Iehovae parari iubetur, eo pertinet, quod prope civitates omnia sunt plana, utpote ad varios usus civium comparata, et multorum pedibus assidue trita, in desertis autem locis, ubi ab incolis solitudo, omnia sunt aut dumetis aspera, aut scopulis invis, aut certe obscurae viæ, neque notatae hominum vestigiis. Quare qui viam aperire atque purgare iubent, in deserto sunt, et ibi clamant, vel dum laborantes acuunt, vel dum alios ad idem opus accendunt. פְּנֹה, *aequalem reddite*, omnia removete obstacula, quae, quominus facilis sit, et placidus cursus, impedimento sunt. Cf. infra Cap. LVII, 14. סֹאֵר-סֹאֵר פְּנֹה-דֶרֶךְ יְהוָה: *sternite, sternite, complanate viam, tollite offendicula de via populi mei*. Ante יְהוָה subintelligenda est particula ל, ut patet ex parallelo לֹא-הָיָהוּ. Iehovae autem via parari dicitur, quod ille ipse populum reducturus sit. יִשְׂרָר, *rectam dirigite, ad planitiem, seu aequalitatem redigite*, quae vel alte assurgunt in colles, vel quae profunde deprimuntur in valles; cf. vs. sequ. et infra XLV, 2, נִדְרֹגִים אֲנִישׁר *tortuosa complanabo*.

4. Magis exornat verba פְּנֹה et יִשְׂרָר. Iniecto aggere, et congesta humo attollatur vallium depressa profunditas, et  
contra

contra deiectis scopulorum fastigiis demittantur colles. היה (העקב למישור והרכסים לבקעה) apud Aethiopas *elivum* significat, observante LUDOLFO in *Commentar. ad Histor. Aethiopic.* p. 206., quin et Arabibus عَقَابٌ est *saxum in monte protuberans*, ut gradui simile videatur, et عَقْبَةٌ, *montis iugum, locus eius, aditu difficilis* Huiusmodi aspera saxa, quae equo curruque ascendere periculosum, aut plane illicitum, in planitiem mutabuntur. رכסים, sunt *praecipitia, loca salebrosa*, collato Arabum كَسْءٌ *praecipitem dedit.*

5. (ונגלה כבוד יהוה) *Gloria Iehovae* dicitur id, quo Iehova gloriosus esse ostenditur, qualis est victoria de hostibus, et reductio populi sui in veterem sedem. (וראו דבר) Cum restituto patriae populo, conspicua fuerit Iehovae virtus et potentia, quisque intelliget, vera esse effata mea, quippe quae non tam mea sunt, quam Iehovae, cuius instinctu et afflatu ego futura praenuntio.

6. 7. 8. Demonstrat huius promissionis veritatem a Iehovae stabilitate: quae ut eo magis eluceat, cum ea comparat promissorum humanorum levitatem. Vititur vero artificio poetico non ineleganti. Sinitur propheta, audire sibi visus numinis vocem, quae ipsum ad homines loqui iubeat. Quid effandum sit, interrogat. Accipit, quam infirmus sit hominum favor, et spes in eo posita, incerta, tam firmas et immotas stare Iehovae promissiones. Hanc sententiam vel lectoribus, vel auditoribus proponit sub imaginē, poetis Hebraeis ad vitae humanae fragilitatem designandam, satis familiari, graminis scilicet, cuius viror, vento urente orto, cito perit. חסד hic est *gratia, favor hominum.*

7. העם collective hic sumendum est, ut *universi terrae populi* intelligantur, *omnis populus*, ut antea dicitur כל הבשר.

8. Sed quam fragilis est et caducus favor humanus, tam inconcussa divinarum promissionum stat fides: cuius rei insigne documentum Iehova edidit eo, quod populi sui hostes prostravit, ut saepe pollicitus est, illumque protinus e vinculis liberat. Quam sententiam versibus tribus sequentibus plenius exponit, verum ut poeta, orname, et sub imagine.

9. Princeps veteris regni urbs, Hierosolyms, annuciare ceteris Iudaeae urbibus iubetur, affulgere iam tempus, quo Iehova benignior intueatur rem Iudaicam, reducatque captivum populum, a quo prius longe recesserat: nec timendum illi quidquam esse, quum hostes ubique prostrati sint et dissipati.

10. Iehovæ victori redeunti praemia praeferuntur, quae inter fideles distribuet. יהוה בחזק יבוא, *Iehova in forti venit*, i. e. ita ut sit fortis. ב hic est *essentiale*, ut Grammatici loquuntur, de quo cf. not. ad Exod. XXX, 22. et SCHROEDERVM in *Syntaxi Nomin.* Reg. XVIII. מושלה לו, *dominans sibi*, id est, ex se ipso potens, propria virtute sua parit sibi et nanciscitur dominium, potestatem atque imperium. שכרו אחרו, *merces eius secum*, mercedem, quam iis dabit, qui durante exilio cultum eius non deseruerunt, sed in ipso, ut in Deo vero, spem posuerunt, secum habet. ופעלו לפניו *et opus suum ante ipsum*, praemia ab eo dividenda, ipsi praeferuntur. פְעֻלָּה hoc loco per metonymiam denotat *mercedem operis*, sicut Levit. XIX, 13. לֹא תִלִּין פְעֻלָּה לְאִישׁ יְמֵי עֲבָדוֹ *ne retineatis mercedem operarii in diem proximum*. Quoad sensum cf. infra Cap. LXII, II.

11. Ut poeta designet, quam tenero amore in populum suum Iehova sit affectus, quamque provida cura illum reducturus sit in patriam, venusta utitur imagine, a vita pastoritia desumpta. Pastor providus, qui gregem suum, uno tractu depasto, in alterum abigit, congregare solet agnos,



agnos, paucos dies natos, qui cum reliquo pecore nondum incedere valent, hinc inde eos cogens; et ubi aegri inter illis sint, aut infirmi, ipse eos portat. Huiusmodi pastoris providi exemplum videmus Genes. XXXIII, 13. 14. ubi Iacobus, fratrem allocutus, „vides, inquit, mi domine, pueros me habere teneros, ovesque et vaccas lactantes, quae si vel uno die nimium agerentur, verendum mihi esset, ut perirent.“ Talem pastorem et *Virgilius* Ecl. I. vs. 12. et seqq. nobis depingit:

— — En, ipse capellas

Protenus aeger ago; hanc etiam, vix, Tityre, duco,  
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,  
Spem gregis, ah! filice in nuda connixa reliquit.

COLVMELLA Lib. VII. Cap. 3. sub finem, de pecoris custode: *Neque tardiores et gravidae cunctentur, neque agiles et foetas, dum procurrunt, separari a ceteris sinat.* Verbum ברה primo quidem *aquatam ducere* significat, ut satis docuit SCHVLTENSIS Lib. I. Cap. VII. *Orig. Hebr.*, sed latius deinde sumitur pro *pastum ducere*, hincque in genere, *leniter ducere*, cf. Genes. XXXIII, 13. 14.

12. 13. Quae adhuc dicta sunt, fieri posse persuadet insignis Iehovae potentia, cui nihil est non superabile. Qui universi huius fabricam tam sapienter instituit et perfecit, certe ille singulum aliquem populum ex hostium vinculis liberare poterit. (מי מדר בשערו מים) *Quis mensus est vola manus suae aquas?* שעל enim *volam, manum expansam* denotat, collato Syriaco *ܡܢܨܐ*, *palmus, manus expansa*. Ingentem aquarum molem sapientissimus mundi aedicator hic illic in lacus et maria distribuit, tanta facilitate, quasi manu illam dimensus esset. — זרה (ושמים בורה הכן) est *spithama*, seu *sparium maximum ab exporrecto pollice ad exporrectum digitum minimum*, cf. not. ad Exod. XXVIII, 16. *ארוך* (וכל בשלש עפר הארוך) *triens, triental*, nomen mensurae est, sed incertae, ut ipse fatetur Aben-Esra. For-

san ad בַּח, ut totum, *triens* est revocandus. וְשָׁקַל בַּפֶּלֶס יִשְׁקַל בַּפֶּלֶס (הַרְיִים) פֶּלֶס signifikat *examen bilanci*, ut Proverb. XVI, 11. inde dictum, quod rectum stat, aequato utriusque librae pondere; vid. MICHAELIS *Supplem. ad Lexx. Hebr.* P. VI, p. 2020. (וּנְבִיעוּת בְּמֵאזְנַיִם) וּנְבִיעוּת בְּמֵאזְנַיִם est *bilanx* ab אֲזֵן, quasi utrinque patulam aurem habens ad examinandum rei pondus. — Ostendit poeta eximiam prudentiam atque solertiam opificis summi, qui universi molem ita dispensavit, ut omnia suis librata ponderibus, certo, atque constanti motu temperentur, ratosque teneant, atque perpetuos cursus, et quod summa sapientia atque consilio decrevit, id omnipotenti virtute architectatus est, atque molitus. Praestari igitur possunt a Iehova, quae pollicetur, quia in eo complendo neque sapientia deerit ad metandum architectandumque, neque ad perficiendum facultas.

13. (מִי הָכֵן אֶת רוּחַ יְהוָה) Verbum הָכֵן proprie *libravit*, hinc *penfitavit*, *penitus perpendit*, significat, ut Graecis ἀναλογισάμενος. Sensus igitur: quis penetravit mentem Iehovae, ut rationes suarum operationum possit cognoscere? וְאֵיךְ יִרְדִּיעֶנּוּ (עֲצָרוּ יִרְדִּיעֶנּוּ) Repetendum ἀποκρίσεις vocula מִי. Quis *vir consilii eius*, *consiliarius eius*, *qui ipsi indicaret*, quid *facturus sit*?

14. (אֵח מִי נִוְעַץ וַיְבִינֶהוּ) *Quocum deliberavit* (cf. Pf. LXXXIII, 6. 1. Regg. XII, 6. 8. Niphal enim designat *consultationem consilium poscentis*), *ut intelligere fecerit eum*? Quem sibi ad consilium operum suorum advocat? וַיְלַמְדֶהוּ (בְּאִוְרָה מִשְׁפָּט) *Quis docuit eum viam iudicii*? Vox מִשְׁפָּט hic denotat idem quod ἀποδοξασα, *recte factum*, secundum leges iuris et aequi exactum, sanæ rationi per omnia congruens, ut Prov. II, 8. *semita virtutis*, *recte factorum*, cf. infra Cap. LIX, 8. Pf. XXVII, 11. דֶּרֶךְ הַבּוֹנָה (יִרְדִּיעֶנּוּ) *Quis viam intelligentiarum ostendit illi*, quis eum erudit? הַבּוֹנָה notat usum ingenii et iudicii in rerum perpenditione, veluti Iob. XXXII, 11. *Auscultavi* usque ad

ad תבונה וחיבה commentationes vestras. Hinc omnino prudentiam, e. c. I. Regg. V, 9. Dedit Deus Salomoni sapientiam ותבונה et prudentiam. Sensus igitur: a quo instructus est, et doctus, ut iuste, sapienter et prudenter agat?

15. Qui fieri potest, ut homo divinam potentiam adiuvet, tanquam infirmam, aut prudentia instruat, tanquam ignarum? cum omnes gentes Dei comparatione nihili instar obtineant. (הן גוים כמר מרלי) *Ecce, populi sicut gutta effluens de fistula.* מר enim denotare guttam ex amphora defluentem, ostendit Arabum <sup>51</sup> *fluxit*, unde ipsis <sup>511</sup> *canalis aquae.* דרלי, *fistula*, coll. Arab. <sup>501</sup> *دلو*, vid. Num. XXIV, 7. (כשחק מאזנים נחשבו) *Sicut pulvisculus* (coll. Arab. *سوادف*, *trivit, comminuit*, vid. Exod. XXX, 36. et 2. Sam. XXII, 43. *אשחקם כעפר-ארץ* unde *ساجد بيق* *pulvis*) *bilancis reputantur*, id est, sicut pulvisculus ita levis, ut etiam si in stateram vel bilancem incidat, quantumvis illa solertissime librata sit, non tamen eam vel minimum in alteram partem inclinat. (הן איים כדק ימול) *Ecce regiones terrae sicut pulvis qui proiicitur*; verbo *proiici* autem hic illud indigitari videtur, quod de levioribus pulvisculis in aere volitantibus, vel facile in aerem raptis, observamus, illos esse in continuo motu, et ab ipso etiam aere agitato huc illuc propelli.

16. 17. Ea est huius numinis maiestas, ut ab hominibus cultus satis dignus exhiberi illi nullo modo possit. Quam sententiam poeta sic enunciat, Libani densos saltus non satis lignorum suppeditare ad ignes sacrificiorum, quae illo numine sint digna, nec animalia, quae illo in monte magno pascuntur numero, ad holocausta Iehovae offerenda, sufficere.

17. (מאפט וחרו נחשבו לו) *Prae nihilo et inanitate reputantur ipsi*, minus quam nihilum ab ipso reputantur. De

voce פֶּסֶם, propriè defectum notante, hinc omnino nihilum, videndus est SCHROEDERUS in *Syntaxi Particularr. Reg. XCV. β.*, cum quo conferatur STORRIUS in *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr. p. 311. not.*

18 — 20. Cum numen hoc omnibus, quae in universa rerum natura extant, longe sit sublimius, quae poterit e rebus humanis effigies exprimi, quae divinae illius naturae vim atque praestantiam repraesentet? ומה דמה (הערכו לו) *Quodnam simulachrum comparabitis ei?* Verbum ערך, quod primo in universum *struere, parare aliquid*, denotat, hinc *similem facere, assimilare, comparare* significat, veluti Pl. LXXXIX, 7. ubi cum verbo דָּמָה, *similem esse*, componitur, nec non Pl. XL, 6.

19. הפסל נסך חרש (הפסל נסך חרש) *Simulachrum sculptile conflatur ar-zifex.* Sed נסך hic improprie sumitur, cum sermo sit non de statua metallo constante, sed lignea, laminisque aureis, vel argenteis tecta, quae sola constantur. Qualia simulachra ὑποζυγια a Graecis vocabantur. (וצרף בזהב ירקעני) *Et conflatur auro id extendit*, sive inducit, quo ad extremam superficiem. — (ורחוקה כסף צרף) *Et laminas argenteas*, quibus illud obtegatur, *conflatur.* רחוקה sunt laminae, docente Arabico *حرف* *clausit, inclusit, ferruminavit.*

20. (המסכן חרומה עץ לא ירקב יבחר) *Pauper quoad donum*, qui pauperior est, quam ut maiora donare possit, *lignum, putredinem non sentiens, eligit.* (חרש-ימוט) Artificem sibi quaerit peritum, qui ita hoc simulachrum loco cuidam adfigat, ut ne facile amoveri possit.

21. Alloquitur eos, qui vanas deorum imagines colunt. Per tot, inquit, seculorum vices, inde a mundo condito, usque ad hoc tempus, num inter vos ne unus quidem extitit, qui vel universi huius opificium attente consideraverit, vel eo considerato, a tali numine haec omnia profecta intellexerit, cuius vim atque sapientiam  
nullus

nullus mortalium possit assequi, quique vos edocuerit, insanire, qui Deum esse sibi persuadeat aliquid e marmore fictum, aut dolatum e ligno, aut ex aere conflatum. הלא הבינורח מוסרור (הארץ) *Annon adscendistis fundamenta terrae?* Numquamne reputastis, eum, qui terram creavit, et veluti fundamenta eius posuit, non posse esse ἀίδεσπομορφον, cum nemo homo tantam inolem facere potuerit, ac proinde statuis humanis exprimi illum non debere.

22. Deus *super terram sedere* dicitur, quia longe super hunc orbem in coelis habitare putatur, unde qui in terra sunt, locustis similes apparent. Facile intelligitur, hoc facere ad vilitatem humani generis cum Deo collati, ostendendam. Eandem sententiam aliis verbis expressit supra vs. 17. (הברטה ברק שמים) *Qui extendit instar tenuis panni coelos.* דק significat id, quod in omni re tenuissimum atque levissimum est. Hoc loco membrorum parallelismus totiusque orationis nexus docet, significari *conopoeum*, sive tenuissimum linteum, tale forsitan, quod in summa aedium parte extendebatur super cubili, quo dormiebant. (וימתחם כאהל לשבת) *Et extendit eos* (coll. Syr. אלה, extendit) *sicut tentorium ad habitandum.* Significatur, quam facile Deus illa immensa coelorum spatia diffuderit, explicueritque, non aliter, ac si quis tabernaculum distentat ad commodam hominum habitationem.

23. 24. Adhuc perseverat in amplificanda Dei maiestate, atque extenuanda rerum humanarum natura. Proceres terrae et principes, qui sua potentia, atque suis opibus gloriantur, ita tamen debiles sunt, ut Iehova iubente momento temporis dissipati sint, et ad nihilum redacti, non aliter, atque arbor, cuius stirps, quod radices non egit, a terra nullum succum trahit, unde venti paulo inclementioris flatu facile arefcit et perit. (שפטי ארץ כחרור עשה) *Iudices terrae quasi inonitatem reddit, vacuum suum locum relinquunt.* Sed שפטי latius patet apud Hebraeos, quam in-

*dicis* nomen apud Latinos, neque tantum ille vocatur שפט, qui iudiciis et controversiis vacat, sed etiam, qui rem publicam aut servandis legibus in officio continet, aut armis tuetur, ut probat totus Indicum liber, in quo qui שפטים vocantur, ut Iosua, Gideon, Simson, regium munus atque imperatorium obierunt. Hinc et Ps. II, 10. שפטים et מלכים ut synonyma coniunguntur.

25. Quum tanta fit huius numinis maiestas et potentia, ut reges et principes arboris eradicatae instar prosterнат, quanta igitur eorum est amentia, qui e rebus humanis effigiem expriment, quae illius divinae naturae vim atque praestantiam repraesentet?

26. Si modo hominibus aliquid esset mentis, satis esse debuit speciosissima coeli facies et ratus, atque perpetuus astrorum ordo, ut sibi persuaderent, aliquid esse Deum super regum et principum maiestatem. (שאר מרום—צבאם) *Tollite modo oculos vestros in altum, coelum versus, et videte, quis illa, quae ibi conspicitis, astra et sidera, creaverit, qui eduxerit pro numero exercitum eorum.* Adhibet poeta metaphoram imperatoris, qui pro rerum opportunitate, nunc has, nunc illas legiones in aciem educit. *In numero* idem valet, atque ex eo numero, sive ex illa coelesti militia nullum astrum imperatoris sui mandatum detrectare. (לכלם בשם יקראן) *Omnibus eorum nomine acclamar, unumquodque nomine suo vocat.* Singula novit, ut qui nomine singulos milites appellant, sine nomenclatore eos norunt. (מרב—בערר) *Prae multitudine virium, et robore potentiae quisque non deest, ne unum quidem deest.* איש dicitur non de hominibus solum, verum et de brutis atque rebus inanimatis, ut Ies. XXXIV, 15. Obscurum est, an fortitudo roburque stellarum sint, an Dei. Si stellarum esse putes, sensus erit, eam esse virtutem et robur a Deo singulis stellarum impertitum, ut nullo in suo munere obeundo deficiat. Sed est communis interpretum sententia, et

et meo iudicio praeferenda, fortitudinem et virtutem esse Dei, qua stellas omnes et earum orbis sic premit atque moderatur imperio, ut illorum nihil voluntati eius non pareat.

27. Hucusque reprehenderat idolorum cultores, nunc et suum populum, quod ipse etiam Deo tam potenti diffideret. Ita enim gens Israelitica, cum iactari se ab hoste videret, et in exilio longo atque moesto inveterasceze, de Iehova cogitabat, quasi rationes hominum lateant ipsum, aut nihil habeat pensi, hocne an illo modo hominum iudicia tractentur. Horum igitur cogitationi occurrit propheta, dum dicit, res omnes creatas a Deo eius voluntati sic esse illigatas, ut datum sibi pensum et munus ex eius praescripto constanter obeant: quare non esse, cur in istam cogitationem veniant, ut existiment, humana haec temere atque fortuito fieri, aut non curare Deum, quid iustum et muneracione dignum, quid secus, et debito supplicio puniendum veniat. (נסתרה דרכו מיהרה) *Abscondita est via mea a Iehova*, rerum mearum statum non magis curat, ac si abscondita ipsi esset. דרך saepe significat statum, in quo quis versatur, veluti Ierem. XII, 1. מדוע דרך רשעים צלחה, *quare via improborum est prosperata?* (ומאלהי משפטי יעבור) *Et a Deo meo transiit iudicium meum*, i. e. Iehova abiecit a se Iudaeorum curam, quasi illorum patronus et custos esse defuerit.

28. Sed et *sempiternus* atque *perpetuus* est Iehova; itaque si aliquo tempore cognitus est potens, necessario illi potentia neque exhauriri, neque debilitari potest. Cum igitur lassanda sit numquam virtus Dei, neque sapientia praeterea desit, cuius non est investigatio ulla, stulte cogitat, qui putat, humana consilia latere posse divinam sapientiam, aut inopum causam calliditate hominum divinae providentiae atque iudicio subtrahi, aut ullo artificio perverti posse. (אין חקר לחכמתו) *Nec est investigatio sapientiae eius*, i. e. sapientia eius, qua mundum regit, est imperscrutabilis.

lis: cum cessare videtur, iam causas actuum occulte disponit. Ne igitur, prophetae est sententia, murmuremus, si Iehova aliter agat, quam nos expedire putemus, nec statim votis nostris annuat, quia in suis servandis arcano consilio operatur.

29. (בחן-ירבה) *Qui dat fesso vires, et defectui virium,* id est, cum desunt vires, *robur multiplicat.* Quomodo ille laborabit aut languescet umquam, qui languenti et lasso animum ac vires integrat? Vnde suos admonet, ut a Deo sperent, quod alii ab eo cumulate capiunt, robur videlicet, et spiritum ad ardua vividum et acrem.

30. Vt sententiam superiorem illustret, translatione utitur, a iuvenibus et adolescentibus desumpta, quorum cum sint integræ vires, rarius accidit, ut fatigentur et sub labore deficiant. Et, si longum tempus in cursu et labore sint, id fit aliquando. Verum qui Iehovam sospitatorem colunt, gravissimis licet laboribus pressi, numquam succumbent. (ויעפו נערים ויגעו) *Etiamsi currant adolescentes et fatigentur,* i. e. currendo fatigentur. Verbum יעה, sicut Arabum *وَجَف*, primum significat *celeriter ire* (qua significatione Dan. IX, 21. occurrit participium Hophal), hinc demum per metonymiam antecedentis pro consequente, *fatigari.* *Vtramque* significationem in IV. coniugatione etiam Arabes frequentant. Sub versus huius initio verbum illud sumendum est prima illa *celeriter eundi* significatione, ut patet ex parallelo vs. 31. *יָרֻצוּ לֹא יִיָּגְעוּ.* Per נערים non tam pueri sunt intelligendi, quam *adolescentes*, ut Ies. XIII, 18. Exod. XXIV, 5. Iob. I, 19. Notat in genere *iuniorem*, oppositione senis (Ies. III, 5.), unde Alexandrinis promiscue νεωτερος, νεανισκος, νεανιος. Contextus hic postulat, ut intelligamus adolescentem firmis et integris viribus, cui ætatis vis et robur consistit. (ובחוררים כשול יכשלו) *Et etiamsi iuvenes offendendo offendant,* gravius impingant, prae lassitudine. Sive verbum כשל hic simul comprehendit *lapsationem,*



nem, ut supra Cap. XXXI, 3. ubi cum כפל eiusdem est significationis, et pluribus aliis locis.

31. Sequitur apodosis: וקרי יהרה, *sed qui Iehovam expectant*, a Iehova auxilium sperant, qui ipsum ut suum sospitatorem numquam colere desinunt. יהליפו כוח, *renovant robur*. Verbum חלה a succedendo, veniendoque post aliud, quae prima eius est significatio, notionem etiam revirescendi accipit, qua non tantum occurrit apud Arabes, quibus أخلف significat, *nova germina emisit exarescens herba*, خلفة<sup>5</sup>, *herba post aliam marcescentem germinans*, et apud Syros انسل, *regerminavit*, سلف, *surculus*, verum etiam apud Hebraicos scriptores. Sic quidem Iob. XIV, 7. *arbor*, postquam excisa, יהליף, *nova germina protrudit*; pauloque latius Ps. XC, 5. 6. de gramine virescente. Eleganter igitur noster verbum hoc transfert ad revirescens, id est, reiuvenescens et renovatum robur. Similiter adhibetur Iob. XXIX, 20. (יעלו אבר כנשרים) *Ascendent ala tanquam aquilae*, ita vires reparatae habituri sunt, ut aquilarum instar subvolare, et angustias omnes superare valeant.

XLI. I. Cum fiduciam in Iehovam capite superiori Israelitis persuasisset, hic iam ostendit, quanto id; sapientius faciant, quam aliae gentes, quae fidei Deis confidunt. Artificio vero non ineleganti poeta Iehovam ipsum inducit, qui ad iudicium totam rem vult deduci, in quo, postquam ipse pro se locutus esset, gentes quoque, quae alios deos colunt, appareant, et Deorum suorum causam, quanta potuerint contentione, disceptent. (החרישו אלי) *Silente ad me*, i. e. silenter et absque omni strepitu me auscultate. ארץ, *terrae, regiones*, i. e. gentes, quae illas incolunt. יהליפו כוח, *instaurant vires*, validis argumentis instructi in medium



medium prodeant, fumantque animos et spiritus liberos et audaces.

2—4. Profert statim Iehova argumentum, unde, quanta ipse polleat potentia, cognosci possit. Cum is populus, quem sibi iam olim tanquam in peculium elegit, in Babylo-niorum vinculis detentus, diuturnum servitium pertulisset; liberavit tandem illum, patriisque restituit fedibus, ministro usus heroe aliquo, virtute et sapientia pariter claro. *Cyrum* enim hic esse intelligendum, patet maxime ex locis parallelis infra Cap. XLV, 12. 13. XLVI, 11. *מי העיר ממזרח צדק יקראהו לרגלו* *Quis excitavit ex Oriente, iustitia occurrit ipsi ad pedem eius?* subintelligendum est pronomen tam *demonstrativum*, quam *relativum*, cuiusmodi ellipsis saepe occurrit, veluti infra vs. 24., *abominabilis* (est is qui) *eligit vos*. Iob. XVIII, 21. *hic* (est) *locus* (eius qui) *non coluit Deum*. Pf. LXXXI, 6. *linguam* (eorum quos) *non noveram*. Plura exempla collegit STORR in *Observat. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 334. not. *ממזרח*, *ab Oriente* hic heros ille excitatus perhibetur, quia Persis, Cyri patria, poetae ad orientalem plagam erat sita. Similiter infra Cap. XLVI, 11. *Ab oriente evocavi avem praedatricem*, *יקראהו* hic vertendum est *occurrit ei*, quasi scriptum esset *יקרהו*. Littera א, olim functa vice vocalis, relicta est in voce. Verbum autem *קרהו* cum *affixo accusativi* denotat *alicui occurrere, obviam fieri*, pro quo ex diversa scribendi ratione saepe קרא ponitur: sic idem illud, quod Genes. XLIV, 29. scribitur *וקרהו אסון*, *et obviam illi noxa*, Genes. XLII, 38. scriptum invenitur *וקראהו אסון*. Et 2 Sam. XII, 1. 3. quod prius scriptum erat *ראש*, mox scribitur *רש*, *pauper*. Ceterum vix monitu opus videtur, per eum, *qui iustitiam obviam sibi ubique habet*, intelligi talem virum, vel principem, qui semper iustitiae et aequitati studet, quasi qui non necesse habeat, iustitiam ut rem a se remotam et fugientem, et natura sua alienam, sectari et prosequi, sed cui

cui iustitia et aequitas quaeque iverit, quoquo perrexerit, ultro se fistant et occurrant. Haec laus vero *Cyro* tribuitur in omni historia atque memoria veteri, quare illum *Xenophon* ut principum optimum omnibus in exemplum proposuit. Laudant omnes in eo *ἐπιεικίαι*, aequitatem, et *εὐγλωσσοσύνην*, benevolentiam, candorem, veritatem. Sic *Nicolaus* ille apud *Diodorum Siculum* Lib. XIII. p. 342. popularibus suis *Syracusanis* commendaturus humanitatem aequitatemque erga *Athenienses* captivos, *Cyrum totius Asiae imperium aequanimitate et benevolentia* sibi comparasse ait, et post productum *Croesi* aliarumque gentium victarum exemplum, subiicit: *Ταίγαρην διαδοθείσης εἰς πάντα τόπον τῆς ἡμεροτήτος, ἀπάντες εἰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἀλλήλους φθάνοντες εἰς τὴν τῆ βασιλείας συμμαχίαν παρεγένοντο* divulgata igitur per omnia passim loca regis mansuetudine humanitateque, omnes *Asiae* incolae certatim alii alios praevenientes in regis societatem se aggregarunt. Cf. infra. XLV, 1. *יחן לפניו גוים ומלכים ירך* Tradidit coram facie eius gentes, regibusque fecit ut dominaretur. Idem de se dicit *Cyrus* *Efra* I, 1. *Omnia regna huius orbis dedit mihi Iehova Deus Coelorum.* *יחן בעפר חרבו* (כקש נרף קשהר) Dedit ut pulverem gladium eius, ut stipulam propulsam arcum eius. Exprimit velocitatem, qua hostes vincit et persequitur. Gladium et arcum tam leviter heros ille gerit, tam rapide et agiliter movet, ut videatur esse instar pulveris vel stipulae propulsae. Similiter infra Cap. XLVI, 11. *Cyrus* describitur: *vocans ab Oriente עיט volucrem praedatricem: instar aquilae vel accipitris, alitum celerissime volantium.*

3. - Persecutus est gentes atque reges secundo! praeliorum successu. Quaecumque pergeret, omnia illi contingebant prospera; atque hunc longum et viarum et victoriarum cursum salvus et incolumis divino beneficio perfecit. Id poeta his verbis indicat: *אורח ברגליו לא יבוא* *femina non penetravit in pedes eius*, id est, non apparet in pedibus, sive in

in calceamentis eius ullum peractæ viæ signum et argum-  
tum. יעבור שלום, *transiit in pace*, evasit incolumis.  
שלום vel positum est pro בשלום, omisso præfixo ב, ut  
2 Regg. XII, 10. XVI, 8. הנמצא בית יהוה, *inventum in*  
*domo* (pro בבית) *Iehovæ*; vel nomen adiectivum הוא est, secun-  
dum formam קרוב, רחוק, ut Ps. LV, 21. שְׁלֵה יָדָי בְּשִׁלְמוֹי.

4. Quis talia operatus est? ille nimirum, cuius vo-  
luntate et potestate omnes gentes, quotquot orbem terra-  
rum inhabitaverunt, sunt ortæ. Dum vero se *primum* vocat  
Iehova, significat, a nullo alio habere, quod sit; dum *no-*  
*vissimum*, se a nemine pendere, cum post ipsum nullus fu-  
turus sit. Quibus rebus ostendit, quam sibi non conveniat  
cum his, qui a gentibus vocantur Dii, cum et ab omnibus  
fabrescant, et illorum opera atque studio conserventur; at-  
que ita neque primi esse, neque novissimi queant.

5. Haec Iehova ad gentes, quas advocarat, ut Deo-  
rum suorum patrocinium susciperent: quæ cum audiissent,  
talia a Deo Israelitarum esse collata, etiam quæ ad extre-  
mum terræ secesserant, cum paria de Diis, quos ipsæ co-  
luerant, adducere non possent, timuerunt. Accesserunt  
tamen ad illud iudicium, ad quod vocatæ fuerant, ut Deo-  
rum suorum [causam] tuerentur.

6. Vt homines adhibere interdum solent factum ali-  
quod pro responso, quod non minus cogitationem eorum  
et sensum aperit, quam ratio; sic vates fictitiorum deorum  
cultores facto non sermone respondentem inducit, dum  
ostendit, quid in Deorum suorum firmitatem et robur ho-  
mines moliantur, idque eleganti quadam hypotyposi, quasi  
fabri et malleatores mutuo se cohortentur, ne quid faciant  
reliquum artis atque industriae suæ, sed toto animo incum-  
bant in Deorum fabricam.

7. Duo artifices videntur in simulacrorum fabricam  
operam et artem contulisse, statuarius, qui e ligno fingit,

et aerarius, qui quod a statuario formatum est, laminis et clavis ornat atque confirmat. Hebraica ad verbum sunt vertenda ita: *Et confortavit faber lignarius fusorem* (i. e. fabrum aerarium) *laevigantem malleum contusionem incudis*, i. e. qui malleum laevigat et perpolit, ut eo super incude laminas et clavos percutiat. אַחֲנֵי אַחֲנֵי הַמַּלְאָכִים positum est pro praefixo Lamed. אָמַר לְרֵבֶקָה טוֹב, *dicit de iunctura, bona est.* Cum opifices opus apprime perfectum et bene concinnatum iudicant, de illo laetantur. וַיִּחְזְקוּהוּ בַמַּסְמָרִים לֵאמֹר, *et firmat illud clavis, ne moveatur.* Postquam ex ferramentis atque arte id habent simulacra, ne partes illae ferruminatae dissolvantur, rursus ne ex aede labascant sua, clavis ad parietem revinciuntur. Haec tot ferramenta, tot artes atque opera sunt necessaria, ne rei usque adeo levi et futili aliquid deesset firmitudinis.

8. Ex comparatione idolorum, quae suis cultoribus nihil praestare possunt auxilii, excitat spem illorum, quos sibi in populum elegerat. זֶרַע אַבְרָהָם אֱהָבִי, *semen Abrahami amici mei, seil. tu es, q. d. memento te ex Abrahamo ortum, amico et dilecto meo, cuius posteros non deseram.*

9. Gentem, cuius conditorem et patres tam insigniter ornavit, eandem et nunc a se ex hostium vinculis liberandam atque ad veterem splendorem evehendam promittit. אֲשֶׁר הִחְזַקְתִּיךָ מִקְצוֹת הָאָרֶץ, *tu es, quem apprehendi ab extremis terrae, ab Aegypto.* Vetera memorat, ut nova sperentur. מֵאֲצִילֵיהָ קִרְאָתְךָ, *a magnis, proceribus, eius vocavi te, regi et principibus Aegypti eripui te.* אֲצִילֵי is est *nobilis stirpe*, ut Exod. XXIV, 11. coll. Arab. <sup>5</sup> <sup>6</sup> <sup>7</sup> رَجُلٌ *radix*, indeque et *stirps, stirpis antiquae nobilitas*, et adiectivum <sup>5</sup> <sup>6</sup> <sup>7</sup> رَجُلٌ *nobilis.* Vid. EDV. POCOCKIUM ad vs. I. *Carminis*

*Tograi.* בַּחֲרַחֲתִיךָ וְלֹא מֵאֲסַחֲתִיךָ, *elegi te et non abieci te, te*  
Ies. Vat. Ggg mihi

mihî feci populum peculiarem, non autem insuper habui, ut gentes alias.

10. Timorem omnem eripit, causamque, tur bono ac securo animo esse iubeat, illam esse dicit, quia Iehovam colit, et qui vult et potest robur et subsidium præbere. אל השח, propr. *ne liquefias, ne dissolvaris*, nempe velut cera: putant enim, verbum *Hithpael* formatum a nomine שומע, quod *ceram* significat, quæ calori exposita facile dissolvitur. Sensus: ne animo concidas. חמטחך בימין צדקי, *sustento te dextra iustitiæ meæ*, i. e. dextra mea iusta, sive potius, valida, forti, quæ propria vocis צדק significatio videtur esse.

11. אנשי ריבך *viri litis tuæ*, i. e. qui tecum contendunt, hostes tui, qui te oppresserunt: hi pudore afficientur, cum Israelitas sibi obnoxios patriis sedibus redeuntes videbunt.

12. חבקשם ולא המצאם, *quaeres eos, sed non invenies*, locutio est usitata Hebraeis, qua absolutam perditionem notant. Adeo, inquit, abolebuntur, ita penitus tollentur, ut quamvis magno studio eos quaeras, invenire non possis.

14. Dicitur Israeliticus populus *vermiculus*, quia a Babyloniis contemptus fuit, eoque loco habitus, quo vermiculus solet, in quo nihil est, quod quisquam aut amet aut metuat. Cf. Pf. XXII, 6. מתי ישראל plerique vertunt *paucos Israel*, ego malle: *mortuos Israel*, ut civiliter *mortui* dicantur, qui e patria extorres sunt, sicut rami a suo trunco decisi. Et ita quidem ab Ezechiele vocati sunt, qui captivi agebant apud Babylonicos, et ossa srida, et mortui mandati sepulturae. Sic enim cap. XXXVII, vs. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, popule mi; et educam vos in terram Israeliticam.*

15. 16. Docet, quid ex Iehovæ auxilio roboris accessurum sit populo, qui prius ab aliis sicut vermiculus  
et

et cadaveris instar habebatur. Sternet enim et conteret eos etiam, qui sic inter alios eminent, sicut e plano eminere solent montes altissimi, quos ita conteret atque comminuet, sicut plaustra dentatis atque ferrantibus rotis, aut tribulae acutis instructae filicibus aridam stipulam in area. Ceterum de instrumentis, quae hic memorantur, cf. not. supra ad Cap. XXVIII, 27.

17. Ad verb. *Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt, lingua eorum siti aruit, ego Dominus exaudiam eos*: i. e. egenos et pauperes, qui aquas quaerunt, ubi nullae sunt, ita ut siti areat eorum lingua, ego Dominus exaudiam. Designatur Israeliticus populus ardentissime liberationem e gentium exterarum potestate desiderans. *Sitis et fames*, praesertim in locis aestuosis, omne vehemens desiderium significat, cf. supra XXV, 5. Est autem hic allusum ad priora secula, in quibus cum siti laborarent in deserto Israelitae, largas illis aquas Deus de silice produxit.

18. Ita illorum desiderium expleam, ut vel in locis aridissimis, in montium fastigiis et latis desertis, fontes et flumina appareant. Felicissimae vicissitudinis descriptio, Orientalibus plane domestica, cf. supra Cap. XXX, 25. *Erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum. Et Ps. CVI. Posuit deserrum in stagna aquarum.*

19. Altera laetissimae vicissitudinis similitudo sumpta est ab umbris in locis, quae umbras habere non solent. Eae enim subito si appareant, magno id solatio est, cf. supra Cap. XXV, 4. *ארז cedrus Libani, conifera*, vid. MICHAELIS *Supplem.* P. I. p. 125. *שטה* esse *Acaciam*, *Mimosam Niloticam* Linn. ostendimus in not. ad Exod. XXV, 5. *הרס*, *myrtus*, vid. CELSII *Hierobot.* P. II. p. 17—22. *עץ שמן*, *oleaster*, vid. MICHAELIS *Supplem.* P. VI. p. 2332. Quales arbores sint *הרהר* et *האשר*, plane ignotum est.

20. Omnes, tam qui Deum Israelis venerantur, quam, qui idolis inani superstitione servant, pariter intelligent, haec tam varia atque dissimilia a Jehovae potentia atque consilio esse profecta. Illi, quia ex rerum angustiis ad abundantiam et latitudinem emerferunt, depressis aliis, quos suis non solum rebus, sed etiam capitibus imminere senserant: hi vero, quia, excitatis aliis, se e suo ordine atque statu deturbari videbunt. Ex hac rerum vicissitudine utriusque ratiocinati scient et intelligent, quis sit Deus?

21. Haec Iehova ostendit argumenta divinitatis suae, nunc iterum gentes advocat, ut deorum suorum causam suscipiant. הגישו עצמותיכם, *adferte robora vestra*, id est, argumenta, quo significatu illa vox apud Talmudicos saepe occurrit.

22. אה אשר הקרינה, *indigent nobis quae accident*, posuit femininum הקרינה, quod subintellexit קרורה, id est, eventa, quae accidere solent hominibus. הראשונה מה הנה, *priora quid ipsa indicate*, ea quae longe olim sint decreta, qua notione ראשונה quoque occurrit infra Cap. XLII, 9. ונשימה לבנו ונדעה אחריו, *et ponemus cor nostrum*, ad attentionem adhibebimus, *ut cognoscamus finem*, complementum, *eorum*, ut Deut. XXXII, 20. 29.

24. ופעלכם מאפע, *Ecce vos minus nihilo*, *opus vestrum minus nihilo*, אפע enim hoc loco non *viperam* significare, ut quibusdam visum est, sed idem esse cum אפס, membrorum ostendit parallelismus. Etenim sicut אפס est *expiratio*, *finis*, *nihil*; ab אפע *expiravit*, proprie cum quadam *explosione*, quae primigenia vis in פסס, arab. <sup>فسس</sup> cernitur; sic consimili ratione אפע videtur esse *flatus*, *nihil*, ab אפע, פוע, פעה, *tumido ore flavit*, cf. not. infra ad XLII, 14. Vnde quoque in Chaldaica interpretatione לא מרעם *nihil quicquam*, et apud Aben-Esram אין, *nihilum* exponitur. הרעבה ובהר בכם, *Abominatio*, id est, *abomi-*



abominandus est, qui vos eligit, qui sibi sumit vos colendos.

25—29. Se ipsum esse Deum, inde probat, quod successus rebus multo ante a se praedictis fidem facit. Nam quod populo Israelitico saepe per vates praedixerat, fore, ut aliquando ad prisca sedes reverterentur, ita evenit: quam rem nullum illorum, quae ab aliis gentibus pro numinibus coluntur, praesagivit. — Per eum, qui *excitatus ab Aquilone venit ab ortu solis*, Cyrum intelligi, nulla est dubitatio; cf. not. supra ad vs. 1. hui. cap. Medi, inquit GROTIUS ad h. l., Iudaeis ad Septentrionem, Persae ad Ortum, Cyrus Medopersa, ideo *ἄμυγος* (*mulus*) in oraculo dictus, Persa per patrem Cambysem, Medus per matrem Mandanen, Astyagis filiam. יקרא בשמי, *me invocabit*, me colet, auctoremque suae felicitatis agnoscet: quod quamquam ex historia via potest probari, creditum tamen est a Iudaeis, vid. Esrae I, 2. 7. Iosephum in Archaeol. L. XI, c. 1. ייבא סגנניכם כמו חמר, *veniet ad principes*, id est, invadet principes, *ut in lutum*, ut figulus super lutum, quod pedibus suis calcet. Verbum בא, quod saepe construitur cum accusativo rei et personae (v. c. Ierem. XXXII, 24.), ut *attingere, pervenire ad*, hoc loco ἐπιβαίνειν, *superingredi*, denotat, et parallelum videtur sequenti ירמס סגננים *esse proceres, principes* Babylonicos, aperte docent loca Ierem. LI, 57. Dan. II, 48. III, 2.

26. (מי הניר צדיק) *Quis vestrum indicavit*, praedixit hoc, *a principio*, longo ante tempore, *ut nunc cognoscamus*, vera a vobis esse praedicta (cf. supra vs. 22), *et ab ante*, i. q. מראש, longo ante tempore, quis vestrum haec praedixit, *ut dicamus*, verum est, ut vera a vobis esse praedicta, nunc fateri debeamus. צדיק proprie omne *rigidum, inflexibile, rectum*, v. c. hastam rigidam, denotat; deinde ad *rigorem iustitiae et veritatis* transfertur, unde in unum *verum* indicat, id quod respondet praedictis et pro-

missis, vid. SCHULTENSIUM *de Defectibus hodiernis Ling. Hebr.* §. 214. &qq. et MICHAELIS *Supplem.* P. VI. p. 2067. (אֵת־אֲמַרְיִכֶם) *Non est neque annuncians, nemo est vestrum, qui futura praedixerit, nec audire faciens, nemo, qui de futuro rerum eventu vestrum oraculum acceperit, neque audiens sermones vestros, atque adeo nemo, qui a mutis simulachris sermonem audierit.* Sensus: longe sunt muta simulachra, quae os habent, et non loquuntur, ut aliquid annunciarent praedicerentque: neque in hoc iudicio testis est ullus, qui se aliquid ab iis audisse testetur. Quare ex hac parte cadit illis divinitatis probatio ac spes.

27. (ראשון לציון הנה הנם) *Primus Sioni ecce ecco illa, primus ego Sioni ista instare demonstro, quae nullus ante me, nemo deorum fictitiorum potuit praedicere, Babylonis interitum, reditum Iudaeorum, et per quos haec efficienda erant.* וְלִירוּשָׁלַם מְבַשֵּׂר אֶתְּךָ *et Hierosolymis nuntiam laetum dabo, prophetas mitto* (מְבַשֵּׂר collective sumendum, ut infra LII, 7.), qui laetum illum nuntium civibus Hierosolymitanis acclament (cf. supra Cap. XL, 1. 2. 9.), quod vana gentium aliarum numina facere non possunt, vid. vers. anteced.

28. Haec verba videntur esse prophetae, qui suae personae auctor hic est, non actor, et repraesentans divinam. Qui cum videret, neminem idolorum causam, aut velle aut posse defendere, neque de illorum defensione inter se, aut inire, aut conferre consilia, tandem concludit.

29. Omnia ista muta et ex materia futili ficta simulachra, inanitas sunt et nihilum! נִסְכֵי־הֵם propr. *conflabilia eorum, i. e. simulachra, quae conflaverunt, supra XL, 19., in vanum fecerunt, quia non prosunt ipsis, neque futura iis indicant.*

Cap. XLII. I. Quum noster in eo potissimum versetur, ut Iehovae divinitatem ex earum, quae longe antea ab illo praedicta

praedicta essent per prophetas (vid. supra XLI, 28. infra v. 8. 9.), eventu comprobet, atque hoc argumento illum contra deos peregrinos vindicet; nunc Iehovam ipsum inducit loquentem, qui vatem, ministrum suum, quo utitur ad res futuras praesignificandas, praesentem ostendit populis iis, qui deos falsos venerantur, et digito quasi illum monstrat. En illum, inquit, ministrum meum, qui sub mea tutela, et rerum futurarum scientia a me instructus, gentibus, quae de iis decrevi, praenunciat. \*) עבדי אחמך בו, propr. *servus meus quem teneo*, nam verbum חמך sequente ב est, *aliquem tenere manu*, vid. Exod. XVII, 12. Prov. XXXI, 19. Am. I, 5.: quia vero quod manu tenemus id diligentius servamus, ideo Deus *tenere, adprehendisse* eos dicitur, quos singulari ratione protegit, vid. Ps. XLI, 13. LXIII, 9. *Afflatus divinus* (נחתי רוחי עליה) hic est *rerum futurarum scientia*, ut apertius adhuc infra LXI, 1. *Iudicium* (משפט) quod gentibus propheta proferre dicitur, sunt *iudicia, quae Iehova in illas exercere decrevit*, quorumque praedictiones in hoc libro sunt consignatae, haud aliter ac in Ieremiae libro, de quo conferas locum Ierem. XXV, 13., ubi proxime inde a v. 16. enumerantur omnes illi populi, de quorum fatibus vaticinatus est Ieremias: quod idem valet quoque de nostro Iesaja.

2. 3. Quia *iudicii* vocabulo antea usus erat, nunc ubi ministrum illum commendat, cum *iudice* illum comparat et bono quidem illo, qui *non clamat, nec vocem ira tollit, ut foris audiarur*, sicut qui ira exardescunt, qui solent ita altum loqui, ut vox eorum extra domum a praetereuntibus audiarur. Cum *iudice* vero id habuit commune propheta, quod *sententiam* pronuntiavit in gentes (משפט לגוים ירציה), non suam quidem sed Iehovae; sed solet prophetis ipsis adscribi id, quod Iehovae iussu annunciant tantum ho-

G g g 4

minibus,

\*) Huius interpretationis vindicationem vide in Additamento notarum ad h. 1.

minibus, cf. not. infra ad vs. 7. Iudex igitur ille, sive *vates*, minister divinus, iudicis personam sustinens, tantum abest, ut ira aliisque vehementioribus animi affectibus perturbatus, in miseros variisque afflictos calamitatibus duram pronuntiet sententiam, qua profusus eos conficeret, ut potius felicioris vicissitudinis prænuncio illorum animos erigat: verbo, *ex aequo ius dicit* (לאמה יוציא משפט) annunciando nempe felicitatem populo Israelitico, Iehovæ cultoribus (עבד יהוה supra C. XLI, 8.), ceteris vero populis, qui vana idola deos venerantur, calamitates et interitum. Ad verba קנה רצוץ לא ישכור ופשהה כהה לא יכבנה bene Grotius: est λιτοτης. inquit, vult enim dicere, Iesiam vaticiniis suis confirmaturum Hebræos,“ et Dathius: „afflictis non addet afflictionem: Israelitas intelligit exules, quibus reditum in patriam significabat.“ Verba לאמה יוציא משפט alii, Grotio auctore, sic interpretantur: *fideliter Dei iudicia annunciabit*: sive, ea iudicia, quae certe evenient. Sed quod nos supra dedimus, filo videtur orationis et comparationi, in qua versatur, *vatis cum iudice*, accommodatus.

4. לא יכהה ולא ירוץ, *non hebescet, neque frangeretur*, id est, ut recte Grotius, neque ignorantia fallatur, neque metu retrahatur a faciendo officio. עד ישים בארץ משפט, quo minus Dei iudicia terris annunciet; ולחוררו איים ייהלו, *effatumque eius terrae expectabunt*, id est, eorum, quae prænunciavit, eventum experientur populi illi. תורה, quod proprie est *to docere*, latius deinde sumitur etiam de *varum essatis*, ut supra VIII, 16. 20.

6. אני יהוה קראתיך בצדק *Ego Iehova vocavi te veracitate* (cf. not. supra ad XLI, 26.), seu, *fide*, id est, cuius promissa de tuendo te confidere et potes et debes. apprehendam te manu tua, confirmabo te, ut supra XLI, 13. dedi te in promissionem populi, i. e. ut illum de futura libertate et reipublicae restauratione

ratione confirmes. Cf. infra locum parallelum XLIX, 6. 8. 9. ברית proprie est *foedus*. Hinc quia in foedere res duae solent contineri, promissio altera, altera lex, seu conditio, qua quid promittitur, factum est, ut ברית simpliciter *promissionem* indicet, veluti Genes. IX, 11. Levit. XXVI, 42. ברית לארד gentium, ut illos quoque ab idolis avertas, atque Iehovam unum esse verum Deum et universi huius opificem, illas edoceas, quod fiebat per vaticinia, quae vates sui Dei iussu de horum populorum fati pronunciabat, vide supra capita XIII. XIV. XV. XVI. XVII. seqq. porro infra XLVI. XLVII. Quo argumento ex rerum futurarum praedictione certa desumpto nostrum in toto orationis decursu inde a Cap. XI. Iehovae divinitatem probantem atque contra peregrinos deos vindicantem videmus. Cf. infra XLIX, 6. et ibi not. Similiter Ieremias XXV, 15. 16. ad gentes exteras, de quarum fati vaticinabatur, missus dicitur.

7. לפקה עינים עוררות, *ad aperiendum oculos caecorum*, sed edocendos idolorum adoratores, qui et infra XLIII. 8. *caeci* vocantur. (להוציא — השך) Sub vinculis, iisque qui in carcerum tenebris sedent, intelligendos esse Israelitas exules, nemo dubitabit. Quos propheta liberare dicitur eodem tropo, quo Ieremias Cap. I, 10. regnis praefectus eaque destructurus et everfurus legitur, aut quo omnino prophetae Dei Hof. VI, 5. dicuntur homines caedere et interficere, nempe annunciando et declarando voluntatem divinsam. Idem igitur hic dicit propheta quod supra vs. 3. et infra XLIX, 8. 9.

8. הווא שמי, *illud est nomen meum*, quo a diis aliarum gentium discernor. וכבודי — לפסילים, *gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculprilibus*, ferre non possum, ut honos creatoris, conservatoris et regis huius mundi, imo unici veri Dei, qui ad me solum pertinet, aliis tribuatur, meumque nomen in hoc orbe habitabili oblitteretur.

9. Ex priorum vaticiniorum complemento fidem sibi in posterum habendam ostendit.

10. Poeta, divinæ potentiae atque benignitatis admiratione abreptus, omnes gentes excitat, ut divinas laudes celebrent. שיר חדש, *canticum novum*, excellens, solet id dici in magnis gaudiis, vid. Pf. XXXIII, 3. XL, 4. ההלחך (מקצה הארץ) toto orbe terrarum, ab ultimis usque finibus divinæ personent laudes. (יורדי הים ומלאו) *qui descenditis in mare*, in navem vehendam per mare, nautae et plenitudo eius, insulae, i. e. qui in iis degunt. Grotius Tyrios indicari putat, multum vexatos a Babyloniiis.

11. ישאו מרבר וערוו *Elevent* vocem (ut vs. 2. cf. supra Cap. XL, 9. Nah. I, 5.) *desertum eiusque urbes*, vastorum desertorum quoque cultores Iehovae laudes celebrent. Grotius: „Gaudeant Idumaei ad sinum rubrum habitantes, qui Medorum hostes, et a Medis male tractati fuerant, cf. supra Cap. XXI.“ Equidem tamen dubito, an poeta singulas has gentes respexerit: videtur potius in hoc versu et in antecedente varios omnino et diversissimos orbis incolas nominare, ut significet omnes, nullo excepto, ad laudes Iehovae celebrandas se debere accingere. הצירים השב קדר, *villas* quas *habitat Kedar*, i. e. vosque Σαυαυας, qui potentia deserta pererratis. De הצירים, *portabilibus Nomadum pagis, tentoriis in orbem positis, constantibus*, cf. not. ad Genes. XXV, 16. Kedareni pro omnibus omnino Nomadibus sunt positi. ישבי יצורו, *habitatores petrae, a vertice montium clament*, etiam qui montes incolunt, laetum illum cantum concinant.

13. Causam indicat, cur laeti cantus sint extollendi: Iehova vindictam sumit de populi sui hostibus. יהרה כנבור *Iehova ut heros procedet* ad profligandos hostes. יצא כאיש *sicut vir bellorum suscitabit zelum*, sicut fortis bellator, qui ad ultionem provocatus magno ardore agetur

agetur in hostes. יריע אף יצריח, *vociferabitur et clamabit* barritum edet, omnia enim haec desumpta sunt de re militari.

14. (החשיחי מעולם אחריש אחאפן) Diu continui iram meam in populi mei hostes. (כיוולדה-יחר) *Instar puerperae tumido ore proflabo, spirabo anhelaboque simul.* Verbum טעה, Arabica docente dialecto, ubi טעה-טעה scribitur, significat proprie *tumido ore flavit* (cf. SCHULTENSII nott. ad *Anthologiam Hamasa Grammaticae Erpenianae* subiunctam, p. 420. 421.), unde apte hoc loco adhibetur de parturiente femina, quae represso diu spiritu, de more, et obstetrice iubente, victa tandem dolore cum anhelitu vocem erumpit. Sensus: cum satis longe iram meam intus continuissem, nunc tandem, vindictam de hostibus sumens, iram meam emittam, et libere suspirabo.

15. Fervente irae mese ardore omnia destitutam atque convertam.

16. (והולכתי-ידעו) Iudaeos vero victos liberabo, domumque reducam, qui minus nihil speraverant. *Caeci* hoc loco vocantur viae ignari, quos Iehova ducet, ut etiam per ignotarum viarum anfractus securi in patriam redeant. (אשים-למישור) Mutabo adversa secundis, et omnia eis quae difficillima videntur, reddam facillima. (אלה הדברים-עובחים) Praeterita posita sunt pro futuris, ut saepe apud prophetas. In voce עשיחם affixum explicandum est per *pronomem separatum*, quasi scriptum esset עשיח להם, *feci ipsis*, ut עשיחי apud Ezechiel. XXIX, 3. pro עשיחי לי *feci mihi*. Plura exempla collecta invenies apud BUXTORFIUM in *Thesauuro Grammat.* Lib. II. Cap. XVII. Phrasis vero עשה דברים *facere verba*, valet *perficere res promissas*, cf. Ierem. XXII, 4.

17. Alienorum deorum cultores pudibundi retrocedent, ubi Iehovae cultores, Iudaeos, ex victorum superbiorum potestate liberatos videbunt.

18. 19. Ad Iudaici populi reprehensionem transit, qui cum a Iehova insignibus beneficiis ex ceteris gentibus quasi redemptus esset instar peculii aut mancipii, voluntatemque suam adiicere debuisset divinae, horum oblitus eadem illa futilia simulachra coluerat, quorum nunc apparet vanitas, Iehovaeque legibus atque adhortationibus parere noluerat. Qua ingratitude Iehova tandem ad iram provocatus populum scelestum barbaris gentibus in praedam tradidit, vs. 21. Quasi dicat: quamquam quid obiurgo alias gentes, cum nemo inter eas fuerit caecior, quam Hebraeus populus, post tot et tam conspicua Iehovae beneficia. — Ceterum haec omnia de praeterito tempore sunt intelligenda, ut res ipsa docet, et cf. infra Cap. XLIII, 8. מי עור כיאם-עברי) Quis tam caecus erat, quam servus meus, i. e. quam is populus, quem multis modis mihi vindicavi, et ex ceteris gentibus quasi elegi, ut mihi serviat, id est, me colat, atque revereatur. Eodem sensu populus Israeliticus *Iehovae servus* vocatur supra XLI, 8. 9. et infra XLIV, 1. מלאכי אשלח, *nuncius quem mitto*, nihil aliud indicat quam עבד יהוה, servus enim a domino ad mandata conficienda mitti solet. מי עור כמשלם, *quis ita caecus sicut persolutus*, i. e. pro quo persolutum est emtionis pretium, quem mihi servum et mancipium redemi. Observa, quam sollicite poeta vocabulum quaesiverit, quod secundum leges parallelismi sententiarum עבד אף responderet, et quasi synonymum cum illo esset.

20. ראת רבות ולא חשמה, *Videndo multa non observas*, tu, o gens Iudaica, quae multa vidisti divinae naturae atque virtutis documenta, nec tamen ex ore prophetarum audita custodivisti. פקח אזנים ולא ישמע, *Aperiendo aures*, i. e. cum apertas haberet aures, *non tamen audivit*, cui tamdiu insonuere legis et prophetarum voces, eas non admisit in animum. Sensus: digna factis supplicia sustinet hic populus, quae evasisset omnino, si quae audivit mandata observasset.



21. יהוה חפץ למוען צדקו (יהוה *delectabatur* ipso, seruo, sive populo suo, multis beneficiis illum ornauit, propter veritatem seu veracitatem suam (cf. not. supra ad XLI, 26.), i. e. ut satisfaceret promissis, quae Israelitarum patribus fecerat, se benefacturum velle illorum posteris. יגדיל חרה ויאריר Illustria reddere voluit eventu effata sua. חרה hic respondet צדק et sicut illud *veracitatem* indicauit in promissionibus complendis, ita hoc *effata, oracula ipsa* indicat, ut supra apud nostrum C. VIII, 16. 20. Etenim vocabuli חרה vis, quae proprie est, *alium aliquid edocere, norum facere alicui aliquid*, latissime patet, cf. supra ad XLII, 4.

22. Quia autem populus ille omnium illorum oblitus aliorum deorum cultum sectatus est, ideo in barbarorum hostium praedam tradita est a Iehova. (הפח בהרים כלם) Propr. *Laqueus iuuenum omnes illi. Laqueus pro illaqueatis* positum est, abstractum pro concreto, ut saepissime alias. Ille vero *laqueus* dicitur *iuuenum*, quia durus est, qualisque iniici solet non senibus aetate languidis, aut feminis sexu imbecillibus, quos tenuia vincula constringunt et cohibent; sed qualis arctare solet robustos et audaces iuvenes, qui et audent et possunt fortia etiam vincula disrumpere. Sensus: Coniecti sunt in vincula fortia, quae perfringi non possunt, qualibus robusti et iuvenes solent constringi. (היו — השב) Praedae facti sunt et direptioni alienis: neque est, qui illos ab aerumnosa illa conditione liberet, aut de illorum exilio solvendo cogitet. *Non est, qui dicat: redde, nempe liberati, aut, patere in patriam redire. Aut quia redde est domini, repetentis, aut iure, aut armis, quod suum est, significatur, populum illum reiectum esse a Iehova, ita ut illum dominus neque domesticum, neque seruum agnoscat.*

23. Nemo fidem habuit prophetis, qui contumaciae poenas, quas nunc sustinetis, vobis praenunciaverant.

רנח, haec, id est, quae nunc evenisse intelligitis, quae nunc patimini.

25. Summam vastitatem per incendium et ignem significari, saepe vidimus. *In circuitu* autem indicat, nihil reliquum fuisse in illorum finibus ab hostili vastatione. Particula ו ante ודע et לא ישים *causalis* hic videtur esse, ita ut ideo excisus et abductus fuerit populus in captivitatem, quia stultus fuit, neque sibi impendere malum illud aut cognovit, aut credidit.

XLIII. 1—8. Iam vero Iehovâ, sui servi misertus, ex tristi exilio liberare eum decrevit, illumque populum, quem inde ab originibus insignibus beneficiis ornavit, ex terris, in quas nunc dispersus est, colliget, atque patriis restitutum finibus novis beneficiis cumulabit. Quo autem magis spem futurae liberationis confirmet, *creatorem* se vocat, et *formatorem Israelis*, cuius potentia duobus his nominibus declaratur maxime; atque multifaria beneficia, quae priscis temporibus in hunc populum contulit, in memoriam ipsi revocat, quod his facit verbis, *redemi te*, i. e. vindicavi te mihi, ut meus sis populus (cf. not. supra ad vs. 19. cap. praeced.), et, *vocavi te nomine tuo, meus es tu*, familiaritatis enim et benevolentiae est, vocare aliquem nomine suo, et non alieno, aut communi.

2. Non est, cur timeas, nam ita tibi semper adero, ut ex omnibus, quae tibi subeunda sunt, periculis, te liberem. *Ignis et aqua* sicuti flumina et flamma Ps. LXVI, 12. pro maximis periculis usurpata.

3. Libertatem tuam Aegyptiis Aethiopibusque redimam, quos pro te Cyri potestati tradam, cf. infra Cap. XLV, 14.

4. Eo amore, quo semper in te eram affectus, et nunc tecum agam: quia apud me in magno es pretio, plurimique

rimique a me haberis, atque diligeris, propterea nullis hominibus parcam, aut populis, ad te liberandum.

5. 6. Undecunque gentium Israelitas dispersos ad antiquam sedem atque ordinem reducam. Dicit autem *semen tuum*, quasi alloqueretur ipsum Israelitarum genitorem, Iacobum, cf. supra vl. 1. Repetit Iehova ab Austro et Aquilone *filios et filias*, id est, ex quocunque sexu atque ordine quotquot habent captivos atque extorres. Est enim usitatum apud Hebraeos, ut genere masculino atque feminino multitudo magna significetur atque varietas, cf. not. nostr. ad Ies. III, 1.

7. Per eos, qui *in Iehova vocari sunt*, sive a Iehova nomen gerunt (cf. infra C. XLVIII, 1. *Audire haec Iacobitae בשם ישראל qui ab Israele nomen accepistis*), i. e. Iehovae cultores se profitentur; atque *ad gloriam suam creati atque formati sunt*, i. e. ut appareat Iehovae potentia, et in promissis fides et constantia, Israeliticum populum indicari patet. Hoc comma vero ita cohaeret cum antecedente, ut ex illo repetenda sint verba אל-חבלאי et הביאי, adeoque sit sensus: omnes, inquam, mihi reddantur, qui ex populo mihi peculiari et caro hic illic captivi tenentur.

8. Refert se iterum Iehova ad antiquam illam disceptationem, quam cum gentium aliarum deis, atque illorum cultoribus antea susceperat. Et iubet idem, quod antea pluribus, ut gentes ostendant, an umquam dii tale aliquid fecerint, promittantque, quale ipse fecisse se ostendit, futurumque promittit. Idolorum vero cultores *surdi* dicuntur et *caeci*, quia tam manifesta non vident, aut tam clare et distincte sonantia non audiunt. הוציא *educ*, ad iudicium.

9. Fac, omnes gentes pro asserenda deorum suorum religione convenisse, et ex omnibus populis in illam curam neminem esse reliquum: quis ex eo numero est, qui de diis suis tale aliquid annunciet, quale nunc a me vobis promissum

missum est? Et קדמון, *priora*, id est, quae prius a me de antiquis parentum vestrorum seculis commemorata sunt, illa de nugacibus diis affirmare ac praedicare possint? Quod si quidpiam responderint ad haec, eaque testibus confirmaverint, nihil amplius obiicio; culpa illi atque errore liberi sunt. *Audiant subint. testes et dicant veritatem!* Plane testis erit nullus, qui citra mendacium dicat, talia a diis istis esse praestita.

10. Testes a gentibus alienae religionis exigit, testes ipse de se ac de sua religione profert, Israeliticum populum, qui multa et maxima divinae potentiae Iehovae documenta accepit (hunc enim populum per *servum a se electum* indicari, nulla est dubitatio, cf. supra Cap. XLII, 19.), ita ut vobis nulla esse possit dubitatio, me esse Deum verum et unicum.

11. Ego sum, ego, inquam, qui illa feci, quae a parentibus accepistis mirabiliter facta. Neque praeter me ullus est, qui salvare poterit, quos ego in praesenti rerum discrimine servavi.

12. Ego annunciavi, et sicut praedixeram ante, salvavi vos, quod beneficium atque opus admirabile non esse gentium idolis tribuendum argumento vobis esse potest, quod eo temporis vestigio, non erat inter vos alienus Deus, cuius potentiae illud adscribi posse videretur. Vos itaque testes estis, quod ego sim Deus.

13. Quae iam olim a principio maiores vestri beneficia suscipere, a me profecta sunt omnia: quosque in meam fidem, atque adeo in sinum recepi, incolumes et victores traduxi: neque enim vis est ulla, quae e manibus eruat, quos ego et manu prehendi, et amplexu teneo; aut dissolvere seu prohibere possit, quod ego molior.

14. Vbi iam praeteritarum rerum exemplo Iehova se Deum esse probavit, significavitque, quam habuerit dilectum

etiam populum, quem tot antea cumulasset officiis, nunc, ut illum recreet, atque confirmet, quem antea proposito exilio, vastitatisque terrore concusserat, ostendit se eodem futurum animo, atque studio, quo superioribus antea seculis fuerat in illum populum, modo ipsum facti, desertaeque religionis poeniteat. Quare cum abductus esset in exilium, curabit, ut inde in patriam remigret, non liber solum, sed etiam gloriosus. Et eo consilio in Babylonem mittet Cyrum, suae sedulitatis administrum, qui deleto Babylonis imperio, sublatisque impedimentis in patriam remittat. *Vestes* pro repagulis seu obstaculis sumendi sunt, quae perfringere Cyrus atque Darius, ut Babyloniam in suam redigerent potestatem, cf. infra XLV, 3. Thren. II, 9. Quod vero Chaldaeos in *navibus suis iubilantes* describit, haud dubie respicit celebrem navigatione mercaturam, quam Babylonios ante urbis expugnationem exercuisse credibile est, ob opportunum ad Euphratem situm, qui fluvius in sinum Persicum effundebatur. De mercatura, quam Babylonii Euphrate aliquando exercuerant, quaedam habet HERODOTUS L. I. c. 193. ubi illorum navigia describit. Noster vero aptissime coniunxit et sublatis vestes, et ablatam navalis gloriae commoditatem; quia ipsa navigandi commoditas, id est, Euphrates in urbem influens, vectis erat, et munimentum civitatis. Vtrumque vero sustulit Cyrus deflexo in plures alveos flumine.

16. Persuadet hunc felicem rerum eventum vates ab his, quae idem Deus priscis temporibus perfecerat aperto mari rubro.

17. Historiam persequitur antiquam, et ut liberatos dicit olim Hebraeos, et demersos Aegyptios omnipotentis dextra, sic etiam postea deletis hostibus eosdem ab exilio liberatum iri promittit. Linum autem hic *fumigans* intelligitur, alioqui minus apta esset similitudo, cum linum non aliter extinguatur; in *fumigante* autem *lino* aptissime exprimitur

mitur id, quod funditus et facile deletur. Nam si quid splendoris in lino, id uno vel levissimo flatu extinguitur, et omnino perit.

18. Grandia plane fuerunt, quae olim Iehova Hebraeis largitus est; verumtamen, quae deinceps beneficia praestabit, eiusmodi erunt, et ita suam divinitatem aperte testabuntur, ut necesse non sit, superiorum excitare memoriam.

19. Familiare nostro, faustum et exoptatum rerum statum, adversis succedentem, imagine deserti exprimere, quod in terram fertilem et habitatam mutatum sit. Cf. MICHAELIS not. 22. ad LOWTHIUM de *Poesi Sacra*, p. 115. edit. Goett.

20. Ferae deserti, ipsique dracones siti vexati, sibilis suis atque nocturnis ululatus Iehovam laudant ob rigatas aridi deserti arenas.

21. Epiphonema, et summa eorum, quae dicta sunt. Quandoquidem ego formavi mihi, et speciali quodam titulo elegi antea, et post ab exilio revocabo hunc populum, faciam, ut ille perpetuo laudem meam praedicet. Id est, ornabo illum quotidie talibus officiis, ut ille, si modo gratus et memor esse velit, habeat, quid de mea benignitate quotidie loquatur et praedicet.

22. Docet iam Iehova, undenam profecta sit in Iudaicum populum tam assidua et tam profusa liberalitas. Non sane ex officiis, quae exhibere debuit. Nam diis alienis eum cultum praestitit, qui Iehovae debuit, cf. supra vs. 19. 20. Quod ita exprimit poeta, sacrificia Iehovae ex lege offerenda et munera ab illo non esse oblata, vs. 23. 24.

25. Ex sola mea natura benigna atque ad clementiam prona sumo, quo tibi benefaciam, qui ad bene de te merendum obsequium et meritum non exspecto; et qui im-

memorem

memorem me tuorum peccatorum ostendam, nullo edito offensi, atque indignati animi documento.

26. Durum alicui videri poterat, nulla esse merita in Iudaico populo, propter quae a domino in libertatem vocari potuerit. Ideo populum ad familiare iudicium vocat, ut suam causam tueatur, ostendatque, si quo id modo consequi potuerit, se iustum esse, dignumque, cui tandem laxetur tam longa atque aerumnosa captivitas. Cum autem nihil afferri possit a Judaeis in eam disceptationem opportunum, efficitur, ab una Iehovae clementia totum illud opus esse exspectandum.

27. Probat Iehova, nihil esse in Hebraeorum populo, quod divinam gratiam et benevolentiam promeruerit. Ipse, inquit, ordo sacerdotalis a me defecit. *Per patrem primum populi Israelitici* haud dubie noster intelligit *Pontificem*, sive *sacerdotum principem*, et quidem *Vriam*, qui Sanctuario et religioni praefuit tempore Ahasi, quando populus Iudaeus publice per plurimos annos, ut numquam alias sub regibus; Iehovae cultum deseruit. Docet enim historia 2 Regg. XVI, 10. seqq. regem Ahasum, cum Damasci, quo iverat ad salutandum Tiglath-Pileserem, vidisset speciem arae, haud dubie ritu Assyriaco constructae, illius *ετυπωμα* misisse ad Vriam Pontificem, ut ad idem exemplum aram strueret in Sanctuario, et sacrificia et victimas regis et populi in eadem offerret; idque Vriam exsecutum esse. Is vero hic appellatur *primus pater*, quod *primus doctor* esset Iudaicae gentis. Sic Micha ad Levitam, Iudic. XVII, 10. *Mane apud me, et eris mihi* אב ולכרן *in patrem et sacerdotem*; eodem modo ad eum Danitae, Cap. XVIII, 19. Neque aliam ob rationem Elisa Eliam 2 Reg. II, 12., et Ioas Elisam, 2 Regg. XIII, 14. appellavit patrem, honoris et reverentiae causa. *Iidem* *sacerdotes* intelliguntur per מליצין *oratores, interpretes* populi Israelitici, i. e. qui interpretes et internuntii sunt inter Iehovam

et populum, Iehovae mandata ad illum referunt, et apud Iehovam pro illo intercedunt, dum oblatiis sacrificiis pro eo veniam peccatorum orant.

28. Ob depravationem tam late patentem Iehova universum populum partim interneconi dedit, partim servitutis opprobriis exposuit. Per *principes sanctos*, sive *principes sanctuarii*, sacerdotes esse intelligendos, vix monitu opus. Hos vero *profanavit* Iehova, i. e. fecit, ut a profana plebe non distinguantur, quia vivendum erat sine templo, sine victimis, sine habitu sacerdotali.

XLIV. 1. Similis a reprehensionibus ad laetiorum promissiones transitus, qualem habuimus supra XLIII. 1. Quae adhuc dicta erant, videbantur contrahere potuisse Iudaeorum animos, cum in illorum meritis nihil esset, a quo in adversa fortuna, atque statu misero aliquid secundum sperare debuerint. Quare eos Iehova bono esse animo iubet, et repetit superiora verba, quibus antea languentes confirmarat spiritus: *haec dicit Iehova, qui fecit, et formavit te*. Ac si dicat: non haec audis ab imbecillo homunculo, qui quod promittit, praestare non possit, aut a nugatore, qui fallaci promisso laetet, hiantemque relinquat deceptum hominem; sed a Iehova, qui, quae habes omnia, ante largitus est, et quae desunt, nihilo difficilius praestabit.

2. מִבֶּטֶן, *ab utero*, saepe ponitur pro *exordio vitae*, quia ibi animati sumus, et inde in hanc communem lucem evocati vitae nostrae curriculum ingredimur. Quare *uterus* hic sumi posse videtur pro prima quasi aetate populi Israelitici, quae fuit in Abrahamo. Et tunc sententia est, in ipso exordio designati populi Iehovam illius suscepisse curam, et in maximo rerum discrimine fuisse auxiliatum. De פֶּטֶן cf. not. ad Deut. XXXII, 15.

3. Vt per siccitatem summa calamitas, sic per ubertatem summa explicatur felicitas apud Orientales, quorum  
ager



ager pluviam de coelo exspectat, quia irriguus non est. Status durus Hebraeorum in exilio agro comparatur sterili atque arenti: et felicitas, quae deinde succedit, agro omnium rerum copia, atque amoenitate vestito. Cf. MICHAELIS not. 22. ad *Louthii Poef. S.* p. 118. Significat longe dissimilem statum atque speciem populi Iudaici ab exilio restituti.

4. In eadem perstat imagine, et futuram populi ubertatem et speciem eleganter exprimit: illae stirpes quasi redi-vivae sic efflorescent et germinabunt, ut inter arbores alias sic emineant, sicut inter humiles et serpentes herbas attol-lunt se salices ad fluentia plantatae.

5. Tunc vero, cum populus paene mortuus revixe-rit germinaveritque, magnus fiet undecunque gentium ad illius coetum societatemque concursus. Quam rem hoc modo exprimit poeta, ut ostendat varias voces et signa, quibus gentiles iam alii a se ipsis non sui sibi iuris, sed alieni, se esse profitebuntur. *Iste dicet, Iehovae ego sum*, id est, iam hinc inemet divinae voluntati mancipio. Alius sibi imponi optabit *Israelis* nomen, quo Iehovae se servum profiteatur. *Iacob* et *Israel* saepe pro his usurpatur, qui Iehovam pie atque fideliter colunt. Quare cum aliquis dicit, velle sibi imponi *Israelis* nomen, id plane dicit, velle se numerari in illorum ordine, qui Deo Iehovae serviunt. *Ille inscribet manui suae: domino:* ad imitationem illorum, qui aliquid alteri dedicant et consecrant, sicuti sepulchris, inscribi solebat, *diis manibus*, columnis et fornicibus: *dico Augusto: servatori Iovi*, et quae his sunt similia. Ac si dicat, haec manus et homo totus non sui sibi iuris, sed Iehovae est, illi se totum dat. בשם ישראל יבנה, *Israelis* nomine se cognominabit, nam כבנה, reliquis Orientis dialectis docentibus, *nominavit, cognominavit* significat, vid. MICHAELIS *Supplementi. ad Lexx. Hebr.* P. V. p. 1199.

6. 7. 8. Magnis his promissis ut Iehova fidem faciat, antiquam iterat nominis sui commendationem, de qua saepius antea, et quemadmodum, quae ism dudum evenerunt, ea multo antea praedicta fuerint. Ex quo etiam intelligi possit, quae modo dicuntur, eadem etiam fide completum iri; et hinc, ut prius, ad ostendendam Deorum vanitatem procurrit.

7. Negat Iehova, ullum proferri posse exemplum Dei cuiuspiam, qui vocavit conditorem gentis cuiusdam, ut ipse vocaverat Abrahamum, quique praenunciavit ei, quid futurum posteris eius esset, et ordine dixerit omnia, quemadmodum fecerat ipse. — עַם עֵלֶם *populus antiquus est Hebraeus*. Hebraeos enim suam gentem ceteris orbis populis antiquiorem existimasse, vel ex Genesi patet, ubi historia Abrahami ita attestata est Semi, adeoque hominum antediluvianorum stemmatibus, ut a primo homine usque ad populi Hebraici conditorem continua sit series. Legas quoque Iosephum sub initio libri eius adversus Apionem. Quam vetustatis gloriam a plurimis populis antiquioribus iactatam fuisse scimus.

8. Nullus vos metus, Iacobitae, neque ulla vos perturbatio sollicitet. Si enim quae iam olim praedixi, successerunt omnia, ut vos testes estis, quae modo praedico, eadem etiam fide complebuntur. Nunquid praeter me Deus est ullus? aut ullum est idolum, quod ego non noverim? Ad verbum רַרָה illustrandum digna est, quae huc adscribatur *Kocheri* observatio. Si Arabicum, inquit, كَوْفٌ conferas, potestatem eius in amplo et spatiofo sitam intelliges, quam cognata quoque كَوْفٌ et كَوْفٌ confirmant. Nunc ea ad animam translata significatio illius quandam dicit latitudinem, quae ut in bonum, e. g. de vasta rerum scientia consiliique copia 1 Regg. V, 9., sic in malum, de tumore spiritus fastuque; sic et de pavore mentis attonitae, vastove animi

animi *stupore* usurpatur. Compara Arab. <sup>ٲٲ</sup>ذوق, et ذيب: per terram *vagatus fuit attonitus* et errabundus, superbivit, unde nomen ذيب: *superbia, desertum*. En idem *vastum et inane*, illud, eundemque mentis *stuporem*; neque abludit Hebr. הוה. Sed proprius ad rem facit Arabum <sup>ٲٲ</sup>مريب *impotens, debilis, languidus, et lentus fuit; infirmo laxoque consilio fuit: nimirum amplus, latus et laxus cognata sunt.*

Inprimis notetur Arabicum <sup>ٲٲ</sup>مريب *prae metu attonitus fuit*, quiescente prima pro ultima. Itaque sic vertimus nostrum: אל הפחדו ואל הררה, *ne paveatis neque stupeatis attoniti*. Cf. Pf. XXV, 17. Haec KOCHERVS: הלא מאז *nonne ex tunc?* i. e. iam pridem, ut Iesai. XVI, 13. infra XLVIII, 9. צור *peram* significare, notum est. Quoniam autem rupes praerupta et alta refugium praestat prae hostibus, et huiusmodi refugia non pauca erant in Palaestina; hinc nomen illud pro *refugio, protectione, et fiducia* usurpatum est, unde saepe *Iehovae* tribuitur, e. c. supra C. XXVI, 4. Pf. XVIII, 32. Deut. XXXII, 4. Nostro loco de tali numine dici, quod a cultoribus suis pro *rupe, sive refugio securo* habetur, res ipsa docet. Ante כל subintelligendum est pronomen relativum אשר, ut saepissime alias.

9—17. Describit poeta idoloplastarum studium atque consilium in dolandis, cudendis atque conlandis idolis, adhibita mimesi vivida et acri. Modo non absimili HORATIUS L. I. Satyra VIII. Priapum de se ipso loquentem inducit, suamque divinitatem sic irradientem:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,  
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum;  
Maluit esse Deum: Deus inde ego, furum, aviumque  
Maxima formido.

9. Plastae, aut formatores, ex quacunque materia fingant idolum, nihil sunt; atque adeo artis suae figmento

divinitatem conciliare non possunt. Neque, quæ ipsi amant, et in quorum sibi structura maxime placent, aucto-ribus suis usum ullum aut honorem afferre possunt. Atque ipsi, licet non sine rubore, si vera fateri volent, testabun-  
tur, illis nihil esse mentis, ut intelligant. In voce הוה occulta quaedam Antithesis videtur: idoloplastæ figuram seu formam idolis dare conantur, illi vero ipsi vanissimi sunt. חמריהם, *amatissima eorum*, quæ maxime amant et in pretio habent, tanquam ea numina, quæ ipsis in adver-  
sis opem ferant. ועוניהם המה, *testes eorum ipsi* sunt artifi-  
ces, ipsi illi formatores optimi testes sunt, unde et quo-  
modo facta sint ista, quæ *Deos* vocant, כל יראו ובל ידעו, *nec vident, nec intelligunt*, simulachra illa neque sentiendi, neque intelligendi instrumenta habent. למען יבשו, *ut confundantur*, quare merito pudere debet eos, qui talia faciunt et colunt. Cf. Ps. XCVII, 7.

10. Quis formavit corpoream illam effigiem, cui di-  
vinum nomen et cultum dedit hominum stupor, atque ve-  
fania? et ex materia, aliis idonea usibus signum exsculpsit,  
nulli postea usui hominibus futurum?

11. הן כל-הכריו-מאדם, *En, omnes socii eius, scil.*  
*idoloplastæ, pudore confundentur, et fabricatores ipsi, qui*  
*sunt ex hominibus.* Adveniant cuncti illi fabri Deorum,  
et coram consistant; statim causa cadent.

12. Quod idola nihil possint, aut sint, ab ipsorum  
artificibus probat (vs. 12. 13.), et a materia, ex qua fin-  
guntur aut constantur (vs. 14.). Nam isti nihil hic esse di-  
cuntur: artifices quidem, quoniam adeo infirmi sunt, ut  
dum metallum malleo, aut lignum runcina, in aliquam spe-  
ciem, aut figuram informant, sitiunt, esuriunt et lassescunt,  
et omnino deficient, nisi adsit poculi, cibique subsidium.  
Usque adeo suæ artis, atque laboris operi virtutem, abun-  
dantiam aut firmitatem impertire non possunt. Et ut eo sal-  
sius

fius vesaniam idolorum fabricam rideret, rem supra et a *ferrario fabro* repetit, qui *lignario* (vl. 13.) instrumentum ante parat, quo is suum ad opus deinde utitur. הרש ברזל מעצר ופעל בפחם, *Faber ferrarius securim et* (quidem) *in carbonibus facit*, verbum פעל enim ad utrumque membrum refertur, quo nihil frequentius apud Hebraeos scriptores, מעצר vero conferendum est cum Arabico مخض, *instrumentum ensiforme, quo arbores caeduntur*, quae significatio confirmatur loco Ierem. X, 3. ubi idolum vocatur *opus lignarii fabri* במעצר *securi formatum*. ובמקבוה יצרהו, *et malleis format eam*, subint. massam illam, ex qua securim conficit.

13. Artifex vero lignarius norma prius et regula, qualis futura sit imago, describit. קו *extendit filum menforium*, vid. supra Cap. XXXIV, 11. Zachar. I, 16. שרר, quo formam imaginis in ligno rudi designat et quasi determinari dicitur (apud Syros quoque شرا significat, *terminavit, determinavit*), *instrumentum* videtur fuisse *acutum*, quo fabri, secundum amussim extensam, ligno inculpserunt lineam, qua forma operis determinetur, ut verisimile est collato Arabum مسرج, quod a Scholiaste Nahas ad Taraphae Moallacah, vl. 17. explicatur *subula*, i. e. instrumentum acutum, quo quid perforatur. Debetur haec vocis שרר explicatio NANNINGAE in *Animadverss. Philologg. ad quaedam V. T. loca*, Syllogi Dissertatt. inserta, T. II. p. 918. 919. Deinde *scalpro*, quod in ل no descriptum est, informat et polit. מקצעה ex Arab. مقطع, *instrumentum, quo quid refecatur, scalprum*, illustratur. Tum *circino* designat illud, circularem figuram illi inducit, rotundat atque tornat lignum ascia dolstum. Tandem *facit illud ad imaginem viri*, ad pulchritudinem hominis ad habitandum do-

*num*, exprimit imaginem hominis, quasi ille homo sit animatus et pulcher, qui domum habitet sacram et illi praesit. Nisi forsan ultimis verbis, לשבח בית, hoc potius poeta exprimere voluerit: non in alium usum affabrefactum fuisse idolum, nisi ut domi maneret, sensu et vita cassum, ut dicitur infra Cap. XLVI, 7.

14. Et isti quidem Deorum opifices et formatores sunt; materiam nunc accipite, unde illi finguntur, ac videte, num ex illa possit provenire divinitas. Ex sylva caedit ille artifex cedrum, ilicem, et quercum, quae nihilo sunt meliores, quam alia ligna, quae remanserunt in saltu. Ad quem usum etiam pinum plantavit: quae si non aduisset, de coelo pluvia non crevisset, neque ullum habuisset opportunum usum. לכרה לו ארזים, propr. *ad succidendum sibi cedros subintell. paratus est*, i. e. succidere solet, sicuti supra XXI, 1., de qua Infinitivi sequente ל potestate videndus STORRIVS in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 422. חרה recte, ut ego quidem arbitror, *ilicem* interpretantur, a *duritie* haud dubie nomen nata, cum קָמַר Arabibus sit *durus, rigidus fuit*. אָמַץ propr. *firmare*, hic est *arborem ponere, plantare*, ut patet ex paralelo נָטַע; eodem significatu occurrit Pl. LXXX, 16. ubi de vite plantanda usurpatur, et similiter respondet נָטַע, quod praecessit. אֶרְבֵּן CELSIVS in *Hierobot.* P. I. p. 192. ope Arabici <sup>5 2</sup> اِسْتِ interpretatus est, quod, teste Abulfadlio, nomen est *arboris, in Arabia Petraea nascentis, spinosae et bacciferae*. In versione tamen retinui *pinum*.

15. Vbi autem domum materia illa caedua comportata est, et securi aut alio quovis ferramento dissecta, illorum partem quandam in focum iniicit, quo se calefaciat, et cibos coquat: ex alia parte, quae reliqua fuerat, Deum sculpsit, cui pronus supplicat, et ante quem se venerabundus incurvat.

16. Partem huius ligni in ignem coniecit, ut caminum instrueret, et ab algente corpore frigus expelleret; partem ad coquendas carnes in foco composuit. Coctis ab ardenti ligno carnibus famem explevit, et calore ex igne concepto dixit, vah, quam belle et placide ad ignem confedi, rigentiaque a frigore membra confovi.

17. Nihilominus tamen ex eo, quod reliquum est ab incendio, formavit sculpturae figmentum, ante quod inclinatus adorat, et eius implorat patrocinium.

18. Inculcat nunc inscitiae atque stuporis illos, qui operibus manuum suarum aliquid inesse divinum sibi persuadent, nec intelligunt, ab his sperari non posse aliquid opportunum, qui dolabra indigent et malleo, ut aliquid habeant praeter rudem informemque stipitem. — Verba לְבַחַם כִּי טָמָּה, ita sunt accipienda: *nam oblevit subint. oblitens, i. e. oblitus est (impersonalis locutio, de qua iam saepius monuimus, cf. STORRII Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr. p. 412.) visus oculorum ipsorum, refecta (id enim particula ו exprimit proprie, vid. STORRII lib. laud. p. 253. not. et p. 254. 255.) intelligentia cordum illorum, i. e. ita ut nihil intelligere possint.*

19. Non reputant secum excordes illi artifices, neque attento ad id, quod re ipsa experiuntur, animo, ita secum ratiocinantur: Ex eodem trunco hic Deus est, et fragmentum illud, quod ignis consumpsit. Nam medium eius in ignem conieci, in cuius prunis carnes et panes coxi. Quo igitur consilio, qua mente, quod de reliquo formatum est, Deum esse statuem? ecquis tantus est animi stupor, ut ante hunc stipitem supplicaturus inclinaret? *Abominandam rem, הוֹעֵבָה, vocat, quam Deum hic appellare debuit, cum non ipse hoc versu loquatur, sed idolorum cultores loquentes inferat: sed vehementiore affectu abreptus personae indutae obliviscitur. לְבוֹר עַץ אֲבוֹרָר, ante proventum arboris,*

ad id, quod provenit ex arbore, *procumbam*? ברל positum est pro יכרל, sicuti Iob. XL, 15. al. 20., cuiusmodi aphaerefeos exempla plura collegit BOCHARTVS in *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. XLIV. p. 467.

20. Annon pars altera trunci, ex qua simulacrum illud dolatum est, in favillam et cinerem extabit? Sane nullus, nisi insipiens, illud venerabitur, quia ex eius obsequio non consequetur ullam salutem. Nonne igitur haec secum meditabitur insipiens ille idolorum formator? et dicet dubitans saltem, de illorum fide atque potentia: forsan opus hoc, quod dextera mea fabricata est, praeter meras nugas, atque mendacium, nihil est. — Idolum ex ligno fabricatum poeta vocat *socium cineris*, quoniam illus trunci, ex quo ipsum fabricatum est, pars reliqua in cinerem versa est. רעה enim hic est idem quod רעה, *socius*, sicuti Proverb. XIII, 20. XXVIII, 7. XXIX, 3. לב הוחל הטהו *cor insipiens inclinare fecit eum*, scil. ante idolum. Vox הוחל non est referendum ad radicem הוחל; sed est *Hophal* verbi הוה, quod est conferendum cum Arabum *هَوَى*, *desipuit, fatuus fuit, insanire coepit*. Notum est, in Specie *Hophal* verborum quiescentium secunda Vav, mediam hanc litteram locum suum cum prima radicali commutare, ut הומח, *occisus est*; vid. SCHROEDERI *Instit.* Sect. VI. Reg. LXXIX. c.

21. Refert se poeta ad ea, quae idolorum vanitate longius explicata, prius interciderat: monet autem Israelis progeniem, ut meminerit, debere se illius esse servum, a quo formatus est; et propter alia officia, neque vulgaria, neque pauca, quae statim connumerat, quibus demeruit sibi Iehova promptum et sacre omnium obsequium. לא תשכחי, *non oblivioni traderis mihi*, i. e. a me: nam pronomina adfixa verbis tam activis et transitivis, quam passivis et intransitivis, ita saepe iunguntur, ut *dativo* reddenda sint, subaudiata particula ל, veluti Zachar. VII, 5. צמקתי, *ieiunastis*



*ieiunastis mihi.* Vid. SCHROEDERI *Instit.* Sect. VIII. Reg. CXXXIV. a. b. pag. 225., et cf. STORRII *Observationn.* p. 115. not.

22. Ego delevi iniquitates tuas, et quae illas sequi debebant, supplicia et incommodo dissipavi nihilo difficilius, quam a vento nebulae, aut nubes dissipantur atque evanescent. Reverteris igitur ad me, Israel, utpote meo labore, studioque redemptus.

23. Propter tam insigne beneficium vates nunc excitat, hortaturque creaturas omnes, ut in Deum formatorem omnium, quantum habent spiritus et virium conferant. Est autem prophetica captandae attentionis forma, aut rei amplificandae familiaris prophetis ratio, ut, si quando res est magna, sive ad gratulationem, et laudem; sive ad offensionem, seu commiserationem, quasi non satis sit rationalis natura ad exsolvendas laudes, aut ad deplorandum infortunium, aut ad amplificandum scelus, creaturae quoque, quae sensu, et vita carent, ad laudem sive ad luctum et querelam advocentur. Exempla habemus Ies. I. et Deut. XXXII, et in Psalmis quamplurima. ובישראל יחמא, et in *Israele gloriosum se exhibet*, ut C. XLIX, 3. supra X, 15.

25. Supra Iehova eo argumento se Deum esse probaverat, quia futura praedixisset, certaue complevisset fide: quae gentium dii numquam praestare potuerant. Idem nunc significat vates: elusa nempe a Iehova fuisse omnia divinorum anguria, a furore potius, et amentia, quam a divinae mentis afflatu profecta. מפר אחור בדים, Ego (cf. vs. 24.) sum *irrita reddens portenta impostorum*; et (is, qui) *augures vesanos reddit*, i. e. ego irrita reddo portenta impostorum, et *infatuo* augures. A participio transitur ad *verbum finitum*, et ita quidem, ut pronomen relativum *Jubaudium* tractetur ut pronomen *tertia*e personae, etiamsi spectet ad vocabulum *primae* personae, sicuti supra Ies. XXVIII, 16.

Vide

Vide STORRII *Observatt.* p. 388. not. coll. p. 343. Illud יהולל *vesanos reddit*, idem est, atque *fatuos et lymphatica vesania correptos ostendit*; nam Hebraici scriptores id aliquando facere dicunt, quod factum esse, aut fieri significare volunt. *Fatuos vero ostendit* Iehova illos augures, dum eos, qui se futura praesentire ac praevidere existimabant, diversis rerum eventibus elusit. (משיב-יכסל) *Convertens sapientes retrorsam, et scientiam eorum stultam faciens*; eadem sententia cum superiori, nam *converti retrorsum*, cadere est ab ea gloria, quam aliquis primum habuit, aut ab ea opinione, quam apud alios obtinuerat.

26. Rata vero facio prophetarum meorum praesagis, dum Hierosolyma, omnesque civitates Iudae a Chaldaeis everfas, excitandas atque habitandas iubeo, et quicquid inimicorum armis subversum est, atque in solitudinem reductum, in priorem statum restituendum.

27. Dico iterum apertum in profundum maris, et flumen arenti alveo sicco vestigio esse transmittendum, sicut in sinus Arabici olim et Iordanis traiectu. Ad illud enim allusum esse a nostro, quod Cyrus fecit, ut Babylonem caperet, cum amnem Euphratem diffudit, et parte eius in lacus abducta, per alveum veterem in urbem ingressus est (cf. Jerem. LI, 32. Herodot. I, c. 191. et nott. ad Ies. XXI, 5.), patet ex illo: נהרותיך, *flumina tua*: quod, cum non facile cogitari possit, quo iure ad Hierosolymas et civitates Iudae, quae proxime praecesserant, referatur, ad Babylonis flumina, id est, Euphratem, pertinere necesse est, licet eius urbis nomen in iis, quae anteceperunt nondum occurrit, quod tamen neminem, in poetis Hebraicis vel mediocriter versatum, morabitur. Vox מצלותה vero Zachar. X, 11. de Nilo, et נהרותה Nah. II, 7. de Tigride usurpatur. Simul autem veterem illam narrationem de sinus Arabici exsiccatione mirabili nostro observatam esse, probabile mihi est tam ex eo, quod liberationem ex Babylonia saepius con-

ferre

ferre solet, cum reditu ex Aegyptiaca servitute et cum modo, quo Iehova ad patres suos liberandos usus est, veluti supra XLIII, 6. 17., quam ex ipsa orationis ratione. Ceterum observa, quam apte poeta hoc versu transitum faciat ad Cyrum ipsum, quo Iehova instrumento est usus ad suos liberandos, cuius laudem nunc persequitur latius.

28. Ego sum, qui Cyrum bello ducem atque imperatorem praefeci: per quem consilia mea atque cogitata praestabo. Qui dicit, Hierosolyma instauranda, et templum rursus aedificandum esse. Appellat vero Iehova Cyrum *pastorem suum*, quia populum Iudaicum ita suscipiet, deducetque in patrias sedes, et antiqua septa, sicut pastor in pascua nota et magis opportuna gregem reducit. Ad verbum hoc comma latine sic sonat: *qui dicit* (quod pendet de illo, quod vs. 24. habetur: אנכי יהוה, scil. qui haec omnia fecit) *de Cyro: pastor meus (est), et omnem voluntatem meam perficiet, et ad dicendum* (scil. paratus est) h. e. dicet, *Hierosolymis: reaedificabimini, et quae sequuntur.*

XLV. 1. Multis signis Deus Israelis sibi inesse divinitatem ostenderat; et in his, ut in fine capitis dictum est, quod multo ante pastorem appellaverat Cyrum, et suae voluntatis administrum. Postremam illam partem de Cyro pluribus hic explicat, et amplificat, et docet, quam ad Iudaicae libertatis negotium habiturus sit omnia expedita et prona. Verba כה אמר יהוה למשיח לאמרו לא sunt vertenda: sic dicit Iehova uncto suo: sed: sic dicit Iehova de uncto suo, proprie: respectu habito, sive, quod adinet ad unctum suum, de quo usu particulae ל videndus est STORR in *Observat.* p. 284. seq.; exemplum habuimus vs. praeced. Vocatur autem Cyrus *unctus*, non quia Hebraeorum more unctus esset oleo, sed quia, cum haec verba essent ad Hebraeos, eo nomine usus est propheta, quo ab Hebraeis communiter vocantur *reges*, veluti Ps, II, 2. 1 Sam. XXIV, 7.

אשר החזקתי בימיפך, *cuius apprehendi dexteram*: fuit Iehova, ut hic aperte propheta, Cyro paedagogus, cui et viam ostendit ad victoriam, et ita deduxit continenti prope victoriarum cursu, ut ad excidium usque Babylonicum nusquam offenderit. Illam autem Dei sedulam et familiarem curam optime declarat apprehensio dexteræ, cf. supra C. XLII, 6. ומחני מלכים אפחה, *et lumbos regum solvam*, subint. coram ipso, ex inciso prægresso. Quod est ita sumendum, *vel*, ut *lumbi ipsi solvi* illis dicantur, sive dum gladio ea in parte transfiguntur, quæ virium sedes habetur (Iob. XL, 16. Nah. II, 1.), et in qua vulnera letalia habentur (Deut. XXXIII, 11.), sive, dum terroribus ac cruciatibus inde proficiscentibus *corporis ipsius compages quasi dissolvitur* (Ies. XXI, 3. Ezech. XXI, 6. Dan. V, 6.): *vel etiam cingulum*, sive, *balteum*, quo accingi solent, *solutum* intelligatur, est enim istud tam *potestatis*, quam et *potentiae* symbolum (Cap. XI, 5. XXII, 21. XXIII, 10. et mox vs. 5. coll. cum Ps. XCIII, 1.); inde, *regum lumbos*, sive, *cingulum*, quod lumbos cingendo constringit et confirmat (Ierem. XXIII, 1. 2. 4.), *regibus solvere*, est, omni prorsus cum potentia, tum et potestate destituere. *Lumbi* vero pro *cingulo* positi esse possunt, uti Ezech. IX, 2. 3. quo loco quidam dicitur *atramentarium* habuisse *ad lumbos*, id est, ad *zonam*, qua lumbi præcingebantur, *appensum*. לפחה לפניך רלחתי, *ad aperiendum* subint. paratus ero, i. e. *aperiam ante ipsum valvas*, palatiorum, ושערים לא יסגרו, *et portae urbium* (Ies. II, 5. 2 Regg. VII, 1.) *non claudentur*, non oclusæ manebunt, ut *aperiri* pro, *apertum manere*, Ies. LX, 11., et *aedificari*, pro, *aedificatum manere*, Dan. IX, 25.

2. Ego teipsum præcedam, sternamque viam ad expeditum atque gloriosum cursum, subiiciamque tibi principes, qui supra reliquos illustre, ac regium caput extulerant. Ferreas portas, et vectes, qui ineluctabile opposuisse videban-

videbantur impedimentum, ad liberum, et pervium ingressum, effringam. In porris ferreis et vectibus omnia impedimenta significantur, quae retardare poterant Cyri victorias.

3. Impertiar tibi thesauros, et opulentam gazam, quam collegit, occultavitque a rapina et furio hominum calliditas, ut hinc cognoscas, me Deum esse, qui te vocavit elegitque ad populum meum liberandum. Narratio de insignibus opibus, quas Cyrus ex subiugata Asia collegerit, inter veteres late divulgata fuisse videtur. PLINIUS Lib. XXXIII, 3. *Iam Cyrus devicta Asia pondo XXXIV millia invenerat, praeter vasa aurea, aurumque factum, et in eo folia ac platanum vitemque. Quam victoria argenti quingenta millia talentorum reportavit, et craterem Semiramidis, cuius pondus XV talentorum colligebat. Talentum autem Aegyptium pondo LXXX patere Varro tradit. Thesauros Babylo- nis ingentes diripiendos quoque dicit Ieremias L, 37. LI, 13.*

4. Haec autem tot beneficia, et auspiciatus bellorum cursus eo spectant, ut servum meum, electumque populum Israeliticum ab exilio vendices et ornatum muneribus in patriam reducas. Posterius huius commatis incisum ita est vertendum: *et* (ideo scil. ut in populum meum te gratum exhibeas) *nominatim te evocans titulis honorificis insignivite, cum mei nescius adhuc esses.* Verbum כנה est, titulo specioso et honorifico insignire et indigitare, ut multis probat GATAQUERUS in *Adversariis Miscellaneis* Lond. 1659. p. 240. Haec significatione occurrit supra XLIV, 5. *בשם ישראל* et *Israelis nomine insigniet se*, h. e. tanquam titulum honorificum assumet sibi: nec non Iob. XXXII, 21. *בשם אכנה* *nec titulos dando homini ulli abblanditurus sum.*

Confirmatur docta haec Gataqueri interpretatio verbi *כתי* apud Arabes usu, appellavit s. signavit nomine per se significante rem aliam, imprimis Scholiastis familiari. Tituli au-

tem illi, quibus Iehova Cyrum insigniverit, si quinam existant, quaeritur, ex contextu nostro praesto adsunt, ubi Cyrum ipsum nunc *pastorem suum*, nunc *unctum suum* (illud in Capitis antegressi exitu, istud in huius ipsius primordio) appellat. Ad syntaxin vero verborum אכרך - אקרא idem Gataquerus optime observat: *verba tum indicantia, tum et imperantia citra copulam ullam intervenientem, ita saepenumero sibi invicem coniungi, ut alterum vel participii, vel gerundii, vel infiniti, vel adverbii vim habeat, horumque aliquo, sed varium in modum, pro notionis subiectae varione varia, commodissime exprimitur.* Veluti Deut. II, 31. רחל רש *incipe posside*, i. e. incipe possidere, 1 R-g. II, 3. אל ררברר *ne multiplicetis loquamini*, i. e. ne multum loquamini. Iob. XXXII, 22. לא ירעהי אכנה *non cognovisti titulos dabo*, i. e. nequeo titulos dare speciosos. Multo plura exempla legi possunt in libro ipso eruditionis plenissimo. ולא ירעהני, *et non cognovisti me*, antequam de me quidquam scires aut cogitares.

5. Saepe Iehova iterat id, quod iam pridem agit, se solum esse Deum: repetitque argumentum idem, quo id ipsum hominibus iam ante suaserat, quod ipse solus futura norit, praedicatque multo ante quam eveniant, quod nunc in Cyro definite confirmat, quem a se ipso armandum et ad bellum instruendum dicit. אאורך ולא ירעהני *accingam te, quamquam me non noveris.* Accingitur ille, qui armis ad dimicandum instruitur, ex usu scriptorum Hebraicorum. Quare *accinctus* dicitur, qui bellum meditatatur, et armis munitus est, sicut *discinctus*, qui bello iam defunctus arma deposuit. Accinxit ergo Iehova Cyrum ad dimicandum, quia et robur addidit et militares spiritus, et quae ardua videbantur, et impedita ad victoriam, aperuit, et expedit. Ipse Cyrus tamen ignoravit, agi se a Iehova, imo per se ipsum agere Iehovam illa omnia, quae suae Cyrus adscribebat fortunae.

6. Ex his omnes me Deum esse solum intelligent, neque mihi cum idolis divinitatem esse communem.

7. Cum Iehova supra praedixisset Iudaicae gentis calamitatem, et exilium, nunc vero praedicat, quanta sub rege Persarum, Cyro, futura sit rerum mutatio, cum deserto servitutis squallore ad antiquam libertatem et gloriam sit aperiendus aditus; probat, in sua esse potestate, aut pacem inducere, aut quae incommoda sunt, invehere suo arbitrato cum libuerit. *Lumen* et *pax* quid hic significet, satis apertum, nempe quidquid optabile est, sive id ad tranquillitatem et otium, sive ad abundantiam et gloriam, sive ad quemcunque alium usum et commoditatem pertineat. *Tenebrae* vero et *malum* id valent hoc loco, quod paci in ea significatione, de qua modo, contrarium est, nempe quod tranquillitatem turbat, et quietem, quale bellum est, et quaecunque externa aut domestica vexatio, et quicquid rerum, quae ad vitam necessariae sunt, facultatem et oportunitatem eripit, quale est exilium, depraeditio, servitus, inopia.

8. Iubet nunc Iehova, ut nova et felicior rerum facies appareat: cadant e nubibus virtutis et iustitiae semina, quae a terra sese aperiante excepta in ea primum germen, tum plantas saluberrimas salutis atque virtutis proferant. Qua imagine Cyri felix imperium depingitur, ut aperte docet contextus, quem omnes istum, magnanimum, clementem, liberalem describunt, cf. not. supra ad Cap. XLII, 2. Haud absimilem imaginem vid. Pl. LXXII, 6. 7. Verba פתח-ארץ — ירח ex Hebraeo ita sonant: *aperiat se terra, et fructuosum sit omne genus salutis* (propr. et *fructuosae sint salus*), et *pariter proferat* (scil. terra) *germen iustitiae, vel iustitia germinare faciat* germen suum. Cum vox ישע non admittat terminationem *pluralis*, illa iuncta est verbo *pluralis numeri*, ut hoc ipso indicetur, intelligendum esse *omne genus salutis*. Simile exemplum occurrit supra Cap. XVI, 4.

חמו רומס מן הארץ, *defecerunt conculcator e terra*; singulare apud Hebraeos saepe est *collectivum*. Suffixum masculinum in בראחור de genere *neutro* usurpatur, ut Pl. XXXIX, 7. יִצְבוּ וְלֹא יָדַע מִי-אֶסְפֵּם, *colligit, nec novit, quis auferat ista*. Zachar. XII, 10. וְסָבְרוּ עָלַי, *et plangent illud* (scilicet quod me transfixerint), וְהָמַר עָלַי, *et moerebunt id*. Cf. STORRII *Observatt. ad Anal.* p. 248 — 250.

9. Haec referenda sunt ad ea, quae apostrophæ, a Iehova versu præcedente enunciata, antecesserunt. Ubi Iehova se solum vocat rerum universarum creatorem, quique malum invehere, et pacem adducere nullo adiutore et socio, suo arbitratu, possit. Tantaë autem, ac tam iustæ potentiaë, si quis obniti velit, aut illam quoquo modo inertiaë, atque imprudentiaë arguere, non feret impunitum. Id vero explicat similitudine, ab aliis quoque saepius adhibita, veluti supra Ies. XXIX, 16. Ierem. XVIII, 6. Scilicet ut lutum, dum in figulari rota convertitur, sistori suo impudenter, ac temere, aut incuriam in opere formando, aut artis imperitia obiceret, aut quereretur, quod ignobili forma in usus finxisset indecoros, et vile ministerium: sic qui in formatore Iehova consilium, aut prudentiam requireret, dignus esset, quem formator ipse in nihilum dissolveret, sicut etiam offensus figulus lutum dissiparet, quod in aliquam formam fingere instituerat. Quod vero ad ordinandam litteram pertinet, sic compono: *Vae illi, qui contendit cum suo fictore; resta cum restis terræ!* h. e. eiusdem conditionis vilitatisque ac ceteraë e terra testæ: *nunquid dicet lutum suo figulo: ecquid facis? opusve tuum: non habet manus*, scilicet qui me formavit. Cum vero vas luteum in suo formatore manus desideret, cum illo expostulat, quod ita rude sit, ac impolitum, ut figuli manus defuisse videatur.

10. Alia similitudine non admodum diversa illorum impudentiam incusat, qui in Iehova aut consilium, aut benignitatem requirunt. Quemadmodum informis puer stulte



stulte cum patre expostularet, et matre, quod specioso atque robusto corpore generatus non sit, dignus esset, quem pater abiiceret, neque iam amplius ex se agnosceret natum. Haec, ut apparet, obscura non sunt; sed quem ad finem adducta sit haec similitudo, non ita facile. Quidam putant, his verbis accusari querimonias Iacobitarum, dum exules agerent apud Babylonios: qui nimis impudenter, et amare, rationem exigunt a Iehova, cur tam diu, ac tam dure in alieno solo inveterascere patiatur Iudaeorum gentem. Aut cur, si aliquando evocare in antiquam sedem constituisset, id potius per Cyrum, alienum a suo genere, et religione, quam per aliquem e suo sanguine vindicem praestare voluerit. Quibus Iehova respondet, haec se velle facere non tam alieno arbitrato, quam suo. Quare neque ab aliquo sibi praescribendum, quid facto opus sit, neque a quoquam de suo officio admonendum esse. — Neque tamen difficile videtur, si existimes his Iehovam tacitis Israelitarum, aut aliorum hominum cogitationibus occurrere, qui, cum divinorum operum consilia ignorent, videantque, aut a vatibus audiant, populum Iudaicum nunc abiectum, et squalidum in exilio, nunc gloriose revocatum in patriam, depulso ab imperio Chaldaeos, excitatos Persas: admirati illam tantam rerum vicissitudinem, in Iehovae actionibus aliquid aequitatis, sive constantiae desiderare videri poterant. Quibus vates respondet, ut cogitare desinant, aut percontari, cur haec, vel illa fiant; satis esse factum illorum cogitationibus, si rerum illarum auctorem Iehovam esse cognoverint, qui talia fecerit, qualia prius saepe, et postea facturus esse dicatur.

II. Sed videte, Iehova inquit, vos Israelitae, quantum in me benignitatis sit, quantumque tribuam amoris vestro. Quod non faceret lutum contra plastrum, neque contra parentem auderet filius, id ego, plastes et pater vester, vobis, ut liceat, permitto. Quare ventura inter-

rogate, et de opere manuum mearum percontamini, atque eorum ego vobis rationem reddam. Verbum צרה, quod in extremo commatis occurrit, non significat semper *praecipere*, aut *praescribere*, quid faciendum sit, sed, *suam voluntatem explicare*, quasi dicat Iehova, explicare, quid vobis in votis sit.

12. Iam Iehova, quasi satisfacere velit filiis contententibus, futuros eventus explicat, et eorum rationem ostendit. Et primo quidem se universorum esse platem probat. Ego, inquit, terrenam hanc molem produxi, et hominem super illam ego formavi. Coelorum amplitudinem manus meae in tabernaculi modum expanderunt: quorum ornatum, atque militiam meae potestati, ad quodcunque velim ministerium subieci.

13. Quia vero de Cyro, alieno a Iudaeorum genere, ad Iudaeorum tamen libertatem accersito (cf. not. supra ad vs. 10.) sciscitari aliquid velle videbamini, de illo haec accipite. Ego illum vocavi, ut afflictos Iudaeos sublevaret et duros atque insolentes Babylonios deprimeret. Quare quia iustitiae meae administer est, ego illi adero, ne in rebus ad meam voluntatem administrandis, usquam offendant. Ipse everfam a Chaldaeis civitatem, et templum, aedificanda curabit. Neque ad hoc opus praeclarum muneribus adducetur aut pretio. Quod ad id videtur respicere, quod Cyrus tam liberali manu et vasa restituit templo, quae abstulerat Nebucadnezar, et ne quid templi fabricae deesset, tam studiose providit. Vide Esr. I. III. VI. De בצר cf. not. supra ad XLII, 6.

14. Quia mercede nulla adductus, Cyre, rem facies tam egregiam, ego ultro tibi mercedem dabo. Quicquid suo labore atque negotiatione quaesierunt Aethiopes et Aegyptii, ad te totum transcribetur: viri potentes ex Saba eervices suas Persico subiicient iugo: proni cadent, et sup-  
plices

plices ante pedes tuos, vindique servilem in modum traducuntur. Vere, o Cyre, in te est, tuosque conatus ad tam felicem exitum moderatur, ille Deus, praeter quem nullus alius existit. Aegyptii et Aethiopes in Babyloniorum fuerant partibus, et pariter cum eis caesi, capti, spoliati sunt eo praelio, quo ad Babylonem victor extitit Cyrus, vid. Xenophontis Cyropaed. VII, c. 1. §. 36—40. Et quod ipsam Aegyptum debellarit, regionesque finitimas, Aethiopiam scilicet, tradit idem Xenophon L. I, c. 1. §. 4. Et Lib. VIII, c. 6. §. 20. Cyri imperium ad definit meridiem Aegypto. Erant autem populi illi ditissimi. De Aegypto vid. 1 Regg. V, 28., de Aethiopibus Iob. XXVIII, 18. Ps. LXVIII, 32. De Sabaeis PLINIUS VI, 29. *Sabaei Arabum propter thura clarissimi ad utraque maria porrectis gentibus.* Sic in Antonii auxiliis apud VIRGILIUM *Aeneid.* VIII. vs. 705. 706.

— — omnis eo terrore Aegyptos et Indi,  
Omnis Arabs, omnis verterunt terga Sabaei.

מִדְּרָה *viri mensurae*, esse viros maioris staturae patet ex locis parallelis Num. XIII, 32. 1 Paral. XX, 6. Sabaeos fuisse proceros dicit Agatharchides, Grotio referente. Et Herodotus L. III, §. 20. de Aethiopibus: *λέγονται εἶναι μέγιστοι ἀνθρώπων.* Verba Hebraea incisi novissimi אֱלֹהִים — אֵין אֲדֵיָא ad litteram ita sunt vertenda: *profecto in te est Deus, et defectus iterationis est*, i. e. nullus, praeter ipsum, alius existit, *expiratio numinum est*, i. e. numina alia non existunt, sed prorsus deficient. אֵין enim proprie notat *expirationem*, qua quid finitur, aut prorsus deficit, vid. SCHROEDER *Instit. Syntax.* Reg. XCV. a. 6.

15. Vates admirabundus arcana consilia veneratur, quibus Iehova populum suum liberare decrevit, cf. not. ad vs. 10.

16. Redit propheta ad illa superiora, quae a Capite XL. ad finem, usque ad XLIV. deducta, Capite hoc XLV.

intercidisse videbantur. Sed re vera neque argumenti oblitus est, neque rationis, qua Iehova se solum esse Deum, et gentium simulacra futile aliquid, et vacuum confirmare instituerat. Quare meminisse oportet duo signa ad cognoscendam divinitatem a Iehova esse proposita: et quod ea, quae praedicta sunt, exitum habuerint, et quod aliqua futura dicantur, ita notata, ut praedictorum memorem nulla ratione latere possint. Utrumque Iehova praestitit ad hunc usque articulum, ut vidimus; et in eo etiam versabatur, quando de servatore Cyro vaticinium induxit. Cum autem, similia ut de suis diis ederent simulacrorum cultores, Deus edixisset, neque ipsi aut vellent, aut possent aliquid contra ostendere, dicit nunc propheta, posteaquam tam gravia, tam illustria, tam explicata oracula a vero Deo proposita fuerunt, idolorum artifices et adoratores pudefactos abiisse.

17. Quare vos, Iacobitae, qui ipso potentissimo Iehova moderante, liberati estis, macti animo estote, neque enim, ut illi idolorum adoratores et plastrae, confundemini. *השועה עולמים*, *salus temporum*, haud dubie est tam illustris liberatio, cuius memoria per omnia tempora et per omnem posteritatem celebrabitur.

18. Haec Iehova dicit, potentissimus, itemque sapientissimus universi opifex. Verba illa: *non vacuam creavit eam, ut habitaretur formavit eam*, creatoris prudentiam et summam potentiam declarandi causa addita sunt.

19. Comparat se iterum Iehova cum diis gentium, et quid intersit inter se atque illos ostendit. Et primum, qui gentium vocantur Dii in *abscondito et in tenebris loqui* hic dicuntur, vel, quia verbis utuntur ambiguis et perplexis, ita ut nihil intelligas, et, quae ab illis dicuntur oracula, in varias sententias trahi possint; vel, quia vox pythonica frendet potius, aut stridet, quam loquitur, et obscurum aliquid opprimit, et nihil exprimit apertum.

Adde,

Adde, quod ex tenebrosis, et subterraneis locis plerumque Deorum oracula reddebantur. Nota sunt, quae de Trophonii antro tradunt historici: Sibylla ex antro reddebat responsa, VIRGILIUS *Aeneid.* VI, 10. 11.

— — horrendaeque procul secreta Sibyllae

Antrum immane petit.

Et vs. 42.

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum.

Et Delphica oracula ex terrae hiatu fundebantur. Addit: *non dixit semini Iacob, frustra quaerite me*, quod alterum est discrimen, quia gentium dii vexant miseros cultores, neque tamen quidquam conferunt boni: quocirca illis frustra honores impenduntur divini, Iehova vero suis cultoribus amplissima proponit praemia. Tertium discrimen est, quod Iehova quae iusta sunt et recta praecipit, his vero contraria prorsus agunt et dicunt, qui esse existimantur gentilium dii.

20. Adeste nunc, vos qui ex gentilium nefaria religione ad veram et sanctam accessistis, quibus nota sunt, tam quae olim impie, quam quae modo sancte instituta servatis, et rem ipsam experti docete, quanto in errore, atque amentia versentur, qui lignum, quod suis manibus in deorum similitudinem efformarunt, aut circumferunt sublatum humeris, (cf. infra XLVI, 7. Ierem. X, 5.) aut in excelso loco constituunt, a quo tamen sperari non potest salus. Quum פליטי saepius sint *reliquiae*, s. *superstites*, *meliores exterminatis malis* et improbis (vid. Ies. IV, 2. X, 20. XXXVII, 31. LXVI, 10.); patet, hoc loco per פליטי הגרים, *superstites gentium*, intelligi eos, qui iam a gentium erroribus liberati Iudaeorum se sacris et legibus adiunxerant: qui cum iam quid in utroque instituto esset honestum atque utile, experimento didicissent, facile poterant in utriusque comparatione rectum ferre iudicium.

21. Reputate hæc apud vos, et quid facto dictoque opus sit, ex his, quæ vobis comperta sunt, considerate. Dii sine gentium neque salvare possunt supplices suos, neque futuros rerum eventus certo cognoscere. At ego et ab initio futura prædixi ea, quæ a me commemorata sunt; et ut ipsa re complerentur, effeci. Neque præter me ullus est Deus, a quo sperari possit, atque præstari salus.

22. Ergo, si salutem optatis, respicite in me omnes gentes, et animos ad me, et studia vestra convertite; neque enim præter me Deus est alius, cuius tutelæ ac fidei salutem vestram tuto committatis.

23. Certissime tempus illud venturum esse prædicit, quo omnes populi Iehovam colerent. צרקה hic est *veracitas*, ut sæpe, cf. supra not. ad C. XLI, 26.

24. Solum Iehovam itaque omnes verum et summum Deum confitebuntur. Qui autem illi se opponunt, et contra eum quasi rebellant, ita deprimentur, ut ignominiosæ conditionis eos pudeat. Ad verbum sic est vertendum: *Tantum in Iehova mihi, inquiet, iustitiæ sunt et robur: ad eum veniet* (unusquisque, id est, venietur, sive gratiam implorandi causa, seu eius ad tribunal ut sistantur), *et pudore confundentur, quotquot insolentia in eum exardescunt.* לי post ביהוה redundat, ut sæpe, veluti Numer. XXII, 34. וחבטו לך *revertar mihi*, Ezech. XXXVII, II. et confusus est tibi, cuiusmodi plura vid. in SCHROEDER *Instit.* Syntax. Reg. XXXVII, I.

25. Propter Iehovæ cultum laudem ac gloriam consequetur populus Israeliticus apud omnes bonos, qui sunt in gentibus.

XLVI. I. Comparationem, quam instituit, inter idola et Iehovam, nunc pluribus et cum acuta atque eleganti insultatione persequitur. Babyloniorum Dii in  
exilium

exilium asportantur, neque salvare possunt suos cultores, Iehova vero (vs. 3.) non portatur, sed suos sustinet, matris more. Versus noster ad verbum ita est reddendus: *curvavit se*, s. *curvatus est*, *Bel*, *incurvavit se* (קָרַם, coll. Syriaco  $\text{ܩܪܡܐ}$  *corrugatus fuit*, scilicet prae senio, docente Arab.  $\text{قرس}$  *frigore contractus est*) *Nebo*, fuerunt simulachra eorum super bestiam et super iumentum; gestamina vestra, i. e. quae vos idola gestare solebatis (vid. supra XLV, 20. inferius vs. 7.) solenni pompa, *tanquam onus portandum imposita* (עֲמֹסוֹת), iumentis imponentur aliorum deportanda, *onus lasso* iumento. Sensus non dubius: deiecta a pristina dignitate idola vestra, quae onera prius vobis fuerant, utpote vestris humeris portata, nunc aliorum deportanda, facta sunt onera bestiis; quae ita gravia fuerunt, quia ex metallo nempe conflata, ut illas usque ad lassitudinem fatigarint. Moris erat apud populos antiquos, etiam apud Romanos, ut victarum gentium numina in terram suam transferrent, vid. Ierem. XLVIII, 7. [C. Flaminius in oratione pro M. Fulvio: Signa ablata et cetera facta, quae captis urbibus soleant. Tertullianus in Apologetico: *Tot de diis, quot de gentibus triumphati*. Et in libro adversus Nationes: *manent et simulachra captiva*. Quales deos *Bel* et *Nebo* fuerint, nemo facile dixerit; varias de iis coniecturas invenies apud SELDENUM in Syntagm. II. *De Diis Syris*, Cap. I. et XII.

2. Ne se ipsos quidem dii isti ab exilio contumelioso servare potuerunt. Ad verbum: *curvati et inflexi sunt simul: non potuerunt eripere onus* scil. iumentis ad asportandum impositum, i. e. se suasve imagines, ne asportarentur, *et anima ipsorum* i. e. ipsique (ut apud Arabes saepissime  $\text{نفس}$ , nec non apud Hebraeos, vid. Ies. V, 14. Ps. CV, 18.) dii illi, *inter captivos abierunt*.

3. 4. Iam vero, vos Iacobitae, et quos varia Israelitarum vexatio reliquos fecit, cogitate, quam longe aliter ego

ego vos complexus fuerim, quam gentium dii supplices et amatores suos. Illi suorum humeros gravi lassant atque opprimunt onere: ego contra, sicut mater foetum, in utero gestavi vos, neque ex sinu atque ulnis umquam excutiam. Portabo, quod non solet mater, usque ad senectam, atque oblitum canitie caput. Ego creavi vos, ego feram, praestaboque ab omni conflictu atque discrimine securos.

5. Ad gentes iterum convertitur oratio. Cum ergo tantum sit inter me et idola discrimen, qua effigie me representari putatis?

6. Inanimata vero illa, atque aerea simulacra magis a vobis pendent, quam ab illis vos. Sumunt enim corpus ex auro, quod e sacculo promittis, et de argento, quod in statera ponderatis. Conducitis opificem mercede, ut vobis Deum conflet, et excudat. Post autem homines amentes et caeci, ante constatum opificis arte simulacrum procumbunt, et supplices adorant. *הוֹלִים זָהָב מְכִיִּם* ad verbum; vilipendentes (coll. Arab. *أذل* vilipendere, et Syriaco *ܐܘܢܐ* idem significante) aurum ex marsupio, i. e. prodigi auri, illudque ut vile erogantes.

7. Portant illud, et circumferunt in humeris, neque ex eo, in quo statuerunt loco, movetur, nisi externus adhibeatur impulsus. Et inelamatum ab anxio, atque ululante adoratore, surdum est, neque preces audit, neque confert salutem.

8. Alloquitur iam eos ex Israelitis exilibus, qui, de liberatione ex captivitate atque de reditu in patriam desperantes, Babylica sacra amplexi sunt, et idolis supplicarunt; cf. Ierem. XVI. Neque enim gentes esse, ad quos in hoc et versibus tribus sequentibus oratio convertitur, patet satis tam ex eo, quod *מְשַׁעִים* qui desciverunt, illos vocat, quo nomine nusquam aliae gentes appellantur, quam



quam ex promissione liberationis mox futurae, *vl. II.* Expendite igitur, inquit, haec, Israelitae, qui ad ethnicos hos ritus, et impia gentilium sacra, diffluxistis; et horum vos aliquando pudeat. Resumite iam cor, quod ad idola prolapsi cum pietate simul abiecestis. *התאששו*, *erubescite*, significatione ab *שן*, *igne*, deducta.

9. Cum iubeo vos ad cor redire, id clarius iubeo, ut superioris seculi recordeamini, in quo parentes vestri humanitatis meae atque potentiae opera plane admirabilia in se ipsis experti sunt. Ex his itaque cognoscite me Deum esse, neque uli praeter me tribuendam esse divinitatem, aut aliquid quemquam gentilium Deorum mecum habere commune, aut simile.

10. Ego sum ille, qui ab exordio generis vestri praedixi, quae novissimis postea temporibus contingere, quaeque nunc multo ante, quae nondum facta sunt, futura praenuncio. Neque ratum non erit, quod ego decrevero, neque successu carebit, quod ego in rebus fieri voluerim.

11. Ego sum, qui virum illum, quem mei consilii ministrum esse volui, ab Oriente vocavi, qui ea celeritate advocatus ad explendum imperium advolabit, qua volucris immensa tranat spatia pernici volatu. Haec ego praedico de Cyro Babylonicae servitutis vindice, et quod de illo promitto, suo praestabo tempore. Ego creavi, atque adeo illud meo subest imperio, quid ergo dubium, quin illud eo, quo statui, modo, perficiam? Quod cum voluci Cyrum comparat, id haud dubie fecit, ut tam impetum designaret, quo ex Perside in Babyloniam irrumperet: quam velocitatem. Similiter apud Ezechiel. C. XVII, 2. *Nebucadnezar* vocatur *aquila magnarum alarum*, quia magnae copias in Iudaeam invexit.

12. Audite ergo me, vos qui contra prophetarum oracula et tot a me vel collata vel promissa beneficia obduristis,

ruistis, atque ad impium idolorum cultum defecistis. רחוקים מצדקה *longe abesse a rectitudine* dicuntur, quod peregrinae religioni studerent et moribus indulgerent Babylonicis.

13. Non est, cur meam gut accusetis aut requiratis veracitatem (cf. not. ad C. XLI, 26.). Prope est, ut promissa compleam; et salutem a me comparandam non diu desiderabitis. Salutem et libertatem Sioni, et Israeli, quam perdiderat ante, gloriam instaurabo.

XLVII. I. Nam eorum, qui vos opprefferunt, superbum atque exultans imperium destruam. Hanc simplicem sententiam vates per totum hoc caput amplificat atque exornat. Statuit primum Bsbylonem in sublimi solio, ubi ab infinitis prope gentibus suspiciebatur. Deinde illam a solio deturbat, ad locum sordidum et abiectum: iubet enim sedere in pulvere, quod illarum feminarum proprium est, quae in luctu sunt, aut quae ministerium obeunt ancillare. Est autem *sedere in terra* aerumnosae ac sordidae conditionis signum. Quare qui prius erant nobili apud suos loco, ab eo deturbati sedere in pulvere dicuntur. Sic Thren. II, 10. *Sedeunt in terra, conticuerunt senes filiae Zion.* Et de amicis Iobi II, 8. 13. *Sederunt cum eo in eo in terra septem diebus et septem noctibus.* Et Iudaea a Vespasiano capta in argenteo nummo fingitur in terra sedens, cf. not. ad Ies. III, 26. Ceterum poetis Orientalibus nihil frequentius, quam populum aut civitatem *mulieris, virginis, puellae* imagine sistere, veluti Israelitica gens Thren. II, 13. Jerem. XVIII, 13., Aegyptus Jerem. XLVI, 11. Sidon Ies. XXIII, 12. Sic *Achmed Arabsiades* in sua Timuri historia, quam tamen styli ratione *carmen* potius *historicum* appellares, P. I. p. 230. edit. Manger. *Persiam* sub imagine *formosae virginis* sistit, qua potiri Tamerlanus vehementer cuperet. *Chaldaeorum filia* dicitur Babylon, quod a Chaldaeis aedificata, aut certe amplificata maxime atque ornata est, revocata illuc imperii sede, quae ab aliis  
inde

inde translata fuerat in Niniven. Dan. IV, 29. ipse Nebucadnezar de se praedicat: *nonne haec est Babylon civitas magna, quam ego aedificavi in sedem regni?*

2. Sedebit ad frumentariam molam, quod sordidum et durum ancillarum ministerium erat, ut liquet ex loco Exod. XI, 5. 12., ubi cum supremae dignitati, infimae conditionis opponitur nota, ancilla alligata molae ad opus pistorium nominatur. Cf. Matth. XXIV, 41. *Homeri Odyss.* XX, 105. seqq. Et quod feminis honestis dedecori et turpitudini datur, coma et facie nudata resecto peplo, instar ancillae infimae fortis ducetur. Etenim ancillaris conditionis habitum exprimere peplum ablatum, patet ex hoc poetae cuiusdam Arabici a Taurizio Scholiasta adducti (Michaelis Chrest. Arab. p. 92.) versiculo:

نَسَوْتُكُمْ فِي الرَّفْعِ بَابٍ وَجُوهَهَا  
يُخْلِنُ أَمَاءَ وَالْأَمَاءُ حُرَابِيرُ

*Mulieres vestrae in proelii tumultu conspicuae vultibus; servas illas putes: at servae hae praenobiles! צמה coma constricta et plexa: א in fasciculum colligavit, sive פ plexuit comam, unde مطوم plexus, nexusque capillus. שבל idem haud dubie est cum سبولة, coma, caesaries, a سبل fluxit. Cf. SCHULTENSII Animadvers. Philologg. ad h. l., et eius Commentar. ad Iob. p. 136. seqq. Transibit autem flumina, non ut ante ludibunda in lintribus, sed ut captiva, pedibus et cruribus, ad illam miseram transinissionem ignominiose nudatis.*

3. Ita ignominiose ab hostibus victoribus et insolentibus tractabitur, ut illis etiam corporis partibus, quas natura et pudor tanta solertia atque studio velavit, nudetur. Vltor Iehova de illa supplicium sumet, neque ullus erit, qui suis se consiliis atque armis opponat. לא אפגע אדם

*non occurrām, s. incurram, (ut) homo, i. e. non humanis, sed divinis viribus, per ellipsin litterae כ, veluti supra XXI, 8. (אריה), Pl. CV, 41. (נהר).*

4. Haec ab oraculi filo abscissa sunt, et a propheta, sive a populo, cui iam affalgebat lux libertatis, interposita. Qui quod ipse redemptus sit, et quod gens Babylonica severe mulctata, acceptum refert Dei virtuti, Dei inquam, non aliarum gentium, sed eius, qui colebatur in Israel, quique *Venerandus Israelis* appellatur saepe. Haec puto claudenda esse parenthesi: quia a continenti filo divisa, et non ab eo, a quo superiora dicta sunt.

5. Nunc porro Babylon comparatur feminae, quae ex magno, atque excelso statu deturbata, in fordidam, atque ignobilem fortunam compacta est. Qualis esse solet femina, quae marito illustri, et numerosa filiorum sobole quondam nobilis, post vero viduata coniuge, et orbata filiis tenebras amat et solitudinem, atque ibi se perpetuo silentio, atque angori tradit.

6. Adhuc descripta supplicia sunt, pro meritorum modo; nunc ostendit Iehova, quam ob rem tam graviter, et eo supplicii genere mulctata sit Babylon. Quia nimirum plus sibi iuris assumpsit Babylonicus furor, quam a Deo illi concessum esset. Affigi voluerat Iehova Iudaeorum populum, mitius tamen, ut sanaretur, non ut periret, non ut profligata esset omnino humanitatis ratio. At ita laxarunt Babylonii sui sive furoris, sive libidinis, habenas, ut licere sibi existimaverint, quidquid collibuisse. Imposuerunt enim grave iugum illis, quos senilis aetas et autoritas ab illa molestia vindicaret. In iuvenes, virgines et infantes illa commiserunt, quae nullo modo patiebatur humanitas, aut pudor. Quae dolenter Ieremias, Thren. V, vs. II. *Mulieres Sione, virgines in urbibus Iudaeae stuprantur. Principes manibus eorum suspenduntur, senibus nullam exhibent reverentiam. Iuvenes in pistrinam detruduntur, pueri lignis*

*lignis ferendis succumbunt.* חללי נחלי vertendum puto: cuiuscunque libidini permisi hereditatem meam, ex usu Arabici ح licitum fecit, rem aliquam cuiuscunque voluntati permisit. Hereditas Iehovae est populus Israeliticus; vid. supra XIX, 25.

7. Existimabat Babylon, adeo se aliis esse superiorem, adeo formidabilem, ut contra se nulla vis aut potestas quicquam auderet. Atque ideo sempiternum sibi imperium arrogabat. Haec autem, quae a Iehova de rerum suarum vicissitudine audit, nunquam meditata est, neque ipsi in mentem venit novissimae fortunae, quam tantam adversam experietur, metus, aut suspicio.

8. Nunc ergo, o nimium tibi, ac voluptati indulgens, quae secura sedes, neque tuis consiliis quicquam adversum metuis, et quae tibi plus satis confidenter blandita sic tecum meditaris. Superiorem fortunam Babylonis et spiritus insolentes, vanissimamque cogitationem proponit, ut gravius postea ferat minarum fulmen. De Babylone hactenus, tanquam de femina locutus est poeta. Prius de femina ancilla ad opprobrium, et ministerium nuda, nunc de eadem, quae quasi Regina factu ambitioneque impotenter inflata nihil metuit. Porro superbae ac lautae feminae duo timere solent, aut viduitatem extincto coniuge, aut sterilitatem, non natis, aut ubi nati fuerint, morte sublatis filiis. Ab his duobus procul abesse periculum vano sibi augurio blandiebatur Babylon, quae tamen momento temporis, et Reginae dignitate caruit, regio coniuge oppresso, et matris suavitate atque foecunditate, liberis extinctis.

9. Haec tamen duo, a quibus securam te fore in aeternum putabas, simul tibi, atque inopinato contingent. Univerfa autem haec infortunia, quae a me audiisti, ideo inundaverunt super te, quia incantatorum nugax, et vete-

ratoria disciplina apud te iam pridem in honore fuit. Quae dum te falsa spe lætat, securitatemque promittit, duros tibi, atque atroces indidit spiritus. — Sicut pseudoprophetarum artibus seducti Israelitæ in captivitatem abducti, plurima servitutis incommoda passi sunt (cf. Ierem. Thren. II, 14. *Prophetae tui falsa tibi vaticinati sunt et furilia. Non retexerunt culpaæ tuæ velamen, ut averterent captivitatem tuam, sed falsa tibi ediderunt vaticinia, tibi que perniciofa*): sic etiam incantatorum et maleficorum nugis decepta Babylon graviter et inopinato corrui. Promittebant, credo, astrologi Chaldaei omnia Babylonii fecunda, et eiusdem aeternum futurum imperium divinabant. Quorum illa pseudomantiis nimium credula, tanquam nulli unquam futura subiecta, in omnium facultates et vitam vi, rapinis atque armis grassabatur. Hinc illi odium, hinc strages, et interitus. Quam vero Babylonii, seu Chaldaei arti astronomicae et astrologicae, seu divinatrici dediti fuerint, satis notum est. Qui, ut tradit Cicero Lib. II. de Divinat. iactabant habere se disciplinam illam collectam per quadraginta et septuaginta annorum millia. De illorum doctrina, quam late in omnem partem pateret, vide Diodorum Sicul. L. III. c. 8. כחמס propr. *secundum integritatem suam*, i. e. plenissime, cumulatissime. עצמה hic est *multitudo*, ut adiectivum עצום Num. XXXII, 1. et عظماء apud Arabes, ubi verbum de omni re vel roboris, vel magnitudinis, vel etiam numeri mole insigni usurpatur.

10. Licet autem quamplurimis esses cooperta flagitiis, sperabas tamen illa omnia te laturam impune, quia superiorem potestatem esse non arbitrare, quae visiteret te, et in res tuas inquireret attente. Haec stulta cogitatio, quae fructus fuit sapientiae illius praestigiatrix (cf. not. ad vs. 9.) fraudi tibi, atque exitio fuit. Quae te eo provexit stuporis atque vecordiae, ut diceres apud te: ego sum illa quam omnes venerari, et tanquam numen aliquod susci-

susplicere debent. אֵין רֵאֵי propr. *non est, qui videat me.* Videre hic, ut reor, non est quocunque modo spectare, sed ut inferiores a superioribus videri, seu visitari solent, cum rationem exigunt eorum, quae contra ius et fas ab inferioribus magistratibus administrantur. Hac autem insolentissima formula fatetur Babylon, se nullum agnoscere superius numen, cui suarum actionum rationem reddat.

II. Ingruet autem in te gravis illa clades a me praedicta adeo inopinata, ac subita, ut te prius aggrediatur, et opprimat, quam eius ortum et praesagium videas. Illud vero malum, quod te securam atque exultantem obruet, nullo modo efficies, ut effugias. — Prius huius commatis membrum ad verbum ita sonat: *Et superveniet tibi malum, cuius non cognoscas auroram*, h. e. inopinato et repente veniet, cf. membrum posterius. Sic Arabibus <sup>شهر</sup> *شهر* inter alia aurora, inde primum quidvis, sive vel exortus ipse, sive exorturae praenuntium quid dicitur. Atque eodem vere sensu <sup>شهر</sup> *شهر* apud Golium: *principia ac signa aurorae et cuiusque rei; praeludia, res praenuntiae.* Videtur autem in nostris verbis allusum ad artem astronomicam, quae ex vario astrorum ortu seu aspectu futuros rerum eventus praesagit. Quasi dicat vates cum specie quadam irrisionis: qui in astris exortus rerum, incrementa et fines videre se putant, illi in astris quid sibi a Iehova paratum esset mali, et eius ortum, seu auroram, aut crepusculum non cognoverunt. Simul vero significat festinationem illam incredibilem, qua res tota ab exercitu Persico peracta est. Nam, ut produnt communiter historici, ante capta fuit Babylon, cuius aeternum putabatur imperium, quam subesse periculo existimaretur. Atque adeo prius oppressa est ingenti clade, quam eius cladis ortum et quasi praesagium, et crepusculum videret: qualis esse solet armorum strepitus, murorum verberatio, et eorum aperta seu debilitata claustra,

stra, et quae antegredi plerumque solent civitatum excidium. *והפלג כפרה et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, quam nullo piaculo avertere poteris.*

12. Omnia secunda et tuta sibi promittebat Babylon ab incantatorum praestigiis. At contra Iehova vires advocabat Perficas; quas contra neque comparata ab antiquis praesidia, neque nova incantatorum commenta quidquam opis afferre potuerunt. Insultat nunc igitur poeta nimium securae civitati, iubetque, ut obviam occurrat Persis cum suis incantatoribus et maleficiis, *in quibus ab adolescentia laborabat*, id est, quibus se totam instituendam, gubernandamque tradiderat, et undecunque gentium magno studio et sumtu congregarat: ut re ipsa tandem experiatur, quid momenti habeant illae merae incantatorum nugae, et quam sit inutilis et vana illa astrorum fides atque doctrina.

13. Etsi multis te consiliis ac modis contra omnes naturae, atque fortunae casus communieris, defecisti tamen, et corruisti. Adsint nunc augures, qui coeli metabantur sydera, mensiumque spatia, et multiplices lunae motus atque aspectus contemplantur, ut ex eorum facie tibi futurarum rerum exitus praedicerent, et si praestare possunt, quod promittunt, arceant, quod tibi ab hostili acie impendet exitium. Ad litteram hoc comma ita erit reddendum: *Defatigata es multitudine consiliorum tuorum* (intelliguntur harioli, astrologi magique, quos Babylonii in omnibus coeptis suis consulebant), *stern modo et servent te qui coelos intelligunt* (חברד, coll. Arab. *خبر* scivit; pronominis vero relativi ellipsis non rara, veluti Pl. XLIX, 21. Esai. VI, 6. Iob. III, 3. cf. STORRII *Observatt.* p. 334. not. *aspicientes in astra, indicantes, s. divinantes quod ad novilunia, ab iis, quae venient super te.* Verba autem *יושיעך מאשר יבאו עליך* coniungenda sunt cum *ישועך, servent te.*



14. Tam incantatores et divini, qui a se stare putant coeli militiam, inimicorum armis resistent, quam vehementi igni arida stipula. Neque recusare poterunt, quominus ab igne Persico cumentur et pereant. Qui sic comburet praestigiatores illos, atque maleficos ut nihil ex illis relinquatur humanis usibus opportunum; non prunas, quibus homines focum instruant, et rigentia membra contoveant. Sicut a combusta stipula nihil est reliquum, quod usui esse possit. Verba: *non pruna ad calefaciendum se, flamma ad sedendum coram ea*, proverbialis videtur figura, qua significatur, aliquid ad extremam fortunam esse deductum. Quomodo dicimus ad explicandam magnam cladem, neque igniferum esse superstitem: et in alia metaphora, vas sic esse confractum, ut neque frustum residuum fuerit ad portandum igniculum de incendio, vel ad hauriendum parum aquae de fovea. Sic etiam videtur hoc dicendi genere significari, ex strage Babylonica neque illud levissimum futurum esse reliquum, quod in magnis etiam incendiis plerumque assolet, nempe prunam aut carbonem, quae ubi ignem conceperunt, postea refrigerata inutilia non sunt.

15. Tales erunt tibi incantatores tui, divini, atque sugures, quos apud te a primo foundationis tuae tempore complexa es, secutaque in deliberando consiliatores. Qui in sua qualibet arte omnes errarunt. Non erit ex illis unus, qui salvet, aut reficiet te. Ad verbum: *ita erant tibi in quibus laborasti*, quos ut in tuis moenibus congregares, omnem impendisti operam; *incantatores tui* (coll. Arab. <sup>5</sup> *ساحر* incantator, fascinator, quod Ies. VIII, 20. per  $\psi$  scribitur), quos *inde a inventura tua fovisti*, quisque *ad lazarum suum errarunt, defectus servantis id.*

XLVIII. 1. Suum in gentem Israeliticam studium et amorem Iehova ostenderit, cum Babylonis stragem praedixerat, idque eam ob rem, quia durius captivum populum

lum acceperat, quam Iehova constituerat. Nunc alia etiam beneficia signaque commemorat, quibus se solum esse Deum, facile persuadet. Prius tamen Iudaeos perfidiae atque improbitatis incusat, quia cum ex nobili stirpe nati sint, longe tamen ab illius sanctitate defecerint. *Domum* primum appellat *Iacob*, id est, inclyti patriarchæ familiam, in qua sibi plus satis placebat et gloriabatur populus ille Iudaicus. Quod autem addit: *qui ex Israele nomen accepistis*: id, puto, ideo fecit, ut ex ipso nomine discat populus sic vocatus, quemnam Deum colere, cui supplicare et adherere debeat: illi nempe, cuius nomen in suo audit, atque circumfert, cf. infra vs. 12. מְטֵי יִרְדָּה, propr. *ex aquis Iudae*. *Vt fons scaturiens* familiae gentisque progenitorem, sic *aqua semen*, prolem, gentemque significat, Deut. XXXIII, 2. Num. XXIV, 6. 7. Prov. V, 15 — 17. ubi cf. Schultensium. הַנְּשֻׁבְעִים בַּצִּדְקָה, ad verb. *iurantes in nomine Iehovae, et Dei Israelis iurantes meminerrunt, non in veritate et veracitate*; i. e. qui, ut vos religiosos profiteamini, ac pios, in iureiurando nomen interponitis meum, illudque saepe in pactis atque conventis, publicisque caerimoniis usurpatis, non tamen id sincero ac pio, sed impio atque fucato animo. Nam dum externam profiteremini sanctitatem, internam abiicitis.

2. Audite, o Israelitæ, qui Hierosolymam incolitis, quibus etiam nomen dedit *Ierusalem*, quam praecipua quadam ratione elegit Iehova, et quos loco munito, et singulari quadam custodia stabilivit, atque tutatus est. Quem omnia posse facile tueri, atque praestare, nomen ipsum indicat. Vocatur enim *Dominus exercituum*, quia potens, atque bellator est. — Addit adhuc vates aliquid aliud, in quo sibi valde placebat ille populus, quod in terra Israelitica optimam sortem obtinuisset, nempe civitatem sanctam Hierosolymam, in qua putabant ita se a Iehova fuisse constabitos, ut nulla vi hominum inde essent expellendi.

Sic Pf. LXXXVII, 1. 2. *Fundatam a se in montibus sanctis urbem, portas Sionis amat Iehova prae omnibus aliis habitationibus Iacobi.* Infra C. LXII, 6. *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes.* Securitatem autem et pacem praecipue promittebat sibi hic populus a templi sanctitate, cuius externis ceremoniis sedulo atque constanter vacabat, propter quam se etiam sanctam arbitrabatur. Porro *Ierusalem civitas dicebatur sancta*, propter templi sanctitatem, et quia multa sacra, eaque praecipua, alibi quam in Solymitano solo obiri religio vetabat. Sic vocatur quoque Dan. III, 28. 2 Maccab. I, 12. III, 1.

3. Rationes nunc adducit, quibus se verum probet Deum, et instabiles Israelitas in fide ac religione contineat. Et primum quidem urget rationem saepius ante propositam: quod quae evenerunt parentibus, multo ante ab ipso praedicta fuerint. Verba incisi nostri novissima: *repente operatus sum, et venerunt*, referenda arbitror non ad liberationem ex Babylonico exilio; verum ad superiora Iehovae miracula et beneficia: putoque ideo *repente facta* dici, quia haec tunc operatus est Iehova, quando rebus aut angustiis, aut impeditis, populus Iudaicus talem exitum habiturus non sperabatur. Illud enim repente, subito, aut inopinato fieri dicitur, non quod simul, atque promissum est, sed quod tunc, quando minus exigere videbatur rerum conditio atque naturæ, contigit.

4. Rationem ostendit, cur et illa, quae vere contigerunt, multo ante monstraverit, et nunc eadem iterum ac saepius repetat: quia sciebat populum illum esse ad parendum indocilem, qui non facile collum ferreum ad iugum inflectat et submittat, et usque adeo dura et inverecunda fronte, ut post tot beneficia a Deo vero ad detestanda idolorum sacra transfugiat. *Cervix autem ferrea* pro pervicaci, atque inobedienti, apta translatione nominatur.

5. Ideo multo ante quam fierent, haec tibi praedixi iam olim, ne forte illorum eventum inanium Deorum potentiae tribueres, quasi illa suo tempore fieri atque prodire praeceperint.

6. Excitat populum ingratum, et immemorem ad praeteritorum recordationem, contemplarique iubet, quomodo quae ante praedixit, successum habuerint omnino certum et fidelem. Quae audisti olim, vide quomodo iam impleta sint, quod tu ipse confiteris. Alia praeterea praedicta sunt nova ab eo tempore, quo iuniores prophetae vaticinari coeperunt, quorum aliqua iam evenerunt, et vos ipsi vidistis: aliqua in aliud tempus futura reservantur, quae adhuc ignoras.

7. Haec vero nunc a me primum annuntiata sunt, non autem olim cum aliis, quorum eventum spectare potuisti. Quae ideo ante tibi praedicta non sunt, ne forte diceres, ante hunc temporis articulum illa te cognovisse: illorumque cognitionem idolorum adscriberes sapientiae, non meae. עתה כבראוי ולא מאז, ad verb. *nunc creantur et non a tunc*, i. e. olim, vid. supra XLIV, 8., quod non significat, tunc cum a Iehova revelantur, esse creata, id est, in rerum naturam accersita: sed intelligendum hoc est familiari Hebraeorum scriptorum usu, qui tunc aliquid fieri dicunt, quando futurum esse significant aut factum ostendunt. *Creata* itaque nunc dicitur Babylonica clades, aut Iudaeorum libertas, quia nunc primum praenunciari coepta. Postremi vero incis: *et non audisti ea, ne forte dicas, ecce ego cognovi ea*, sensus videtur esse hic: si postrema haec, quae nunc primum audit populus ille, iam antea cum aliis plurimis audisset, neque meminisset, a quo illa, et per quem essent proposita, cogitare posset, aut certe obtendere, cognovisse se ingenii sui sagacitate, atque solertia, aut ab idolorum oraculis seu praestigiis accepisse. Ideo haec postrema de Babylonici imperii excidio nunc primum in hoc rerum articulo proponit,

ponit, ne obſistere poſſit populus ille vaniſſimus, aut ſaltem cogitare, ab alio ſibi illam five cognitionem, five cogitationem oblatam.

8. Quare hæc poſtrema, quæ nunc audis, neque accepisti prius, neque noſſi, neque ullo modo ante hoc tempus revelata ſunt tibi. Novi enim ingenium tuum inſtabile et varium, et quod a priſcis inde temporibus feciſti, ut a Deo tuo ad idola deſlecteres, id quoque te facturum in poſterum; et ideo hoc recenti præſagio volui te in officio, ac fide continere. — Expediebat maxime, ut populus ille cognosceret, Iehovam eſſe, a quo hauſiſſet illam futurorum cognitionem, ut illum coleret, et eius tutelæ ſe, ſuamque libertatem in exilio crederet. Ut ergo verum Deum unum eſſe intelligeſent, a quo vaticinium illud de Cyro, ſtrageque Babylonica, ac felici in patriam remigratione tot notatum circumſtantiis, tunc primum audiſſent, illa eadem, quæ nuper oſtenderat de extremi huius vaticinii ignoratione, iterum ac ſæpius repetit.

9. Dignus quidem eras, o popule, beneficiorum immemor, quem in æternum abiicerem: ſed propter nomen meum, quod a gentibus inculari aut in perfidiæ ſuſpicionem venire nolo, furorem meum a vindicta continui. Laudis itaque meæ, atque honoris ſtudium effecit, ut levitatem tuam atque inconstantiam infractarem, ac cohiberem, ne te præcipitem in exilium darem.

10. Caſtigavi quidem te, ſed non exitio dedi. Quod ſic enuntiat; ſe non ita excoxiſſe Iſraelem, ut nullæ amplius in eo manſiſſent ſcoriæ, quod ſit vi acriore ignis in argento, quod prorfus purgatur.

11. Mei nominis cauſſa purgavi te, non dura, ſed benigna fornace, ad tempus, neque adeo longum, ne quisquam me crudelem appellet, aut infidelem, qui populum meæ commiſſum fidei tam dure vexarim: aut inſirmum eſſe putet, et qui illum ab exilio eximere non poſſim.

Quare ego idem, qui in fornacem conieci, e fornace etiam educam, neque laudem hanc ascribi alteri permittam, ut quidquam habeat in populum meum iuris et imperii.

12. Ille tibi, o Israel, verus et solus Deus existimari debet, a quo pater tuus nomen accepit *Israel* (is autem fuit *Iacob*, a quo genus Israeliticum late propagatum est, quemque verae religionis sectatorem esse non negabat). Atqui ego sum, qui vocavi patrem tuum *Israel*, et qui nunc te *Israel* voco, quia a me, et a nomine meo habes, ut Israel vocere. Verus igitur et solus Deus abs te existimari debeo.

13. קורא־ימרו, *ego vocabo eos, et stabunt simul.* Significat Iehova, sic imperio suo omnia esse subiecta, ut se vix dum vocata sistant, excipiantque lubenter eius voluntatem.

14. Proxime ostenderat, quemadmodum duce Cyro evertendum esset Chaldaeorum imperium a Persarum exercitu, et laxanda longa et molesta Iudaeorum captivitas: nunc iubet Iehova, ut congregati Iudaei respondeant, an hoc vaticinium ab ullo alio ante hoc tempus audierint. מי בהם *quis in illis*, quis illorum, scil. idolorum, de quibus *vs. 5.* dixerat nullum eorum res futuras umquam praedixisse. יהוה אהבו, *Iehova dilexit eum*: sub quo Cyrum intelligi manifestum est, de quo multis supra, quem Deus suorum consiliorum administrum elegit. (יעשה־כשרים) Exequetur Iehova per Cyrum, cui favet, consilia sua, *et brachium*, id est, opus potentiae suae perpetrabit contra Chaldaeos, Cyro instrumento usus.

16. Videtur propheta praeterita sua vaticinia iam impleta opponere his, scil. de Cyro et liberatione ab eo expectanda, atque ex illis ad horum veritatem argumentari. מראש *igitur intelligendum de prioribus vaticiniis.* Atque idem est argumentum, quo supra *vs. 3. seqq.* usus est; ex quo

quo hic locus videtur explicandus. Haec optime *Darius* ad h. l. Ait igitur vates, se ab initio, cum vaticinari coepit, egisse verbis non obscuris et implexis, aut in recessu, et latebris, ut gentium oracula assolent, sed palam, et aperte. Quod sane non auderet, nisi afflatus esset ab eo, qui nec fallere alios, neque ipse ullo modo posset falli.

17. Vates interposita divini nominis maiestate, atque benignitate redemptoris, l'attentionem simul et benevolentiam captat a Iudaeis. — Alii dii, quos ex nimis familiari gentium consuetudine colere coeperunt Iudaei, in eam calamitatem deduxere vacillanum et infelicem populum, quam nuper explicuit vates: quia inutilia docuere, et viam ingressis gravia opposuerunt impedimenta. Nunc Iehova ostendit, quam longe aliter Iudaeorum rationibus confu- luerit. Ego, inquit, illa doceo, quae tibi, quacunque ratione consideres; futura sunt ex usu: qui in viam, quam ingres- sus es, non provide solum, sed etiam amanter, vestigia tua moderor et guberno, ut nusquam offendas.

18. Dicat aliquis, si utilia doces populum, gressum- que moderaris in via, cur illum in hostiles manus, et ludibrium tradis, et in aërumnosum atque diuturnum exilium protrudis? Id enim longe abest ab illa gubernatione et cura, quam de populo tuo habere te dicis eximiam. Huic cogi- tationi, seu obtrectationi, occurrit Iehova, dicitque, non sibi defuisse docendi studium, aut gubernandi curam, sed populum illam suae sibi libidini potius, quam divinis mo- nitis obsecutum, indocilem se praeuisse suae disciplinae. Quasi dicat, quod nunc tot tibi, tamque ignominiosa im- mineant incommoda, inde profecto natum est, quia a mandatis meis utilibus aures atque animi abhorruerunt, alioqui omnibus bonis, quae optari poterant, abundares. *שלוך פאך*, laetitiam, prosperitatem, et secundum rerum successum ab significat, denique quidquid in bonis hominibus numerari solet. Alterum, *כדר* *flumen*, quia aquis abun- dat,

dat, continentique delabitur fluxu, sic etiam ad maximarum rerum affluentiam significandam transfertur, quae in fluvio perpetua est, neque umquam exhauritur aut arefcit. Porro, sicut חטאה et עון *peccatum et iniquitas*, pro peccati supplicio saepe, sic צדקה, *iustitia*, pro iustitiae praemio et compensatione ponitur, ut Genes. XXX, 32.

19. Pollicitus fuerat Iehova Abrahamo, ex filio Isaaco eam pullulaturam posterorum sylvam, ut aequaret astra coeli, et arenas, quae sunt in littore maris, vid. Genes. XII. XIII. XIV. XV. At nunc gladio, tabeque consumtis magna ex parte Abrahami posteris, non nisi pauci ex ea multitudine relicti sunt eo tempore, quod praefens spectabat vaticinium, iidemque aut apud hostes captivi aut profugi ad alienas sedes. Nunc igitur significat, ex suae legis observatione, quid commoditatis habitura fuisset Abrahami soboles. In eam enim multitudinem excreveret, ut arenae maris non esset inferior, et nomen ipsius omnibus esset formidabile: iam vero *attritum est a facie Domini*, id est, a Domino proiectum, ignobile, atque ita sordidum, ut iam Iudaeorum sordes et calamitas apud gentes proverbiali sermone concidantur, cf. Zachar. VIII, 13.

20. Digni quidem erant Iudaei divinatorum mandatorum immemores, quos Iehova ignominia atque exilio mulceteret sempiterno. Nihilominus illorum fugam et solitudinem consolatur, dum ex Babylico, id est, duro ac barbaro dominatu exilire iubet. Modus vero loquendi per imperativum, aliquid habet magis laetum et promptum, ut infra LII, II. Annunciare praeterea id iubet omnibus, qui eodem cum illis exilio ac servitute sunt, ita ut vox profusa cum hilari atque festivo sonitu ad fines usque terrarum insonet, in hunc modum: perfregit Iehova captivorum vincula, redemit servos suos, ex Israelitico femine prognatos. כָּסָא *redimere*, ut vox ipsa indicat, proprie est, impensa pecunia aliquem ex captivitate liberare. Quia vero plerumque



que in captivorum libertate intercedit pecunia, fit, ut quocunque modo capti restituantur patriae, *redimi* dicantur.

21. Non minus provide, atque indulgenter captivum e Babylone populum reducam, quam eius parentes olim ex Aegyptiaca servitute. Ut enim illis, ne siti deficerent in deserto, aquam e filice produxi: sic in reditu e Babylone ad populi utum ac voluptatem necessaria omnia largiar liberali manu.

21. Haec vel spectant Babylonios, Israelitici populi hostes, vel, quod praetulerim, illos ex Israelitis, qui haerere in exilio maluerunt, quam in patriam reverti: qui pertinaci studio aut Babylonicae impietati adhaeserant (cf. supra XLVI, 8. et not. ad eum loc.), aut alio certe nomine indigni, qui rursus incolerent civitatem sanctam Ierusalem. His ergo, qui ad templum, sacraque Iudaeorum redire noluerunt, qui eo nomine *impii* vocari possunt, felicitas illa negatur, quae reducibus ab exilio promittitur.

XLIX. 1. \*) Ut vates praefagiis suis, tam illis quae proxime praecefferunt, quam his, quae sequentur, conciliet auctoritatem, omnemque a se mendacii suspicionem amoveat, se ad munus propheticum a Iehova ipso vocatum testificatur, imo a primo ortu divinorum mandatorum ad populum Israeliticum interpretem a Iehova se designatum affirmat. Similes suae legationis divinae testificationes inseruit XLII, 6. 7. XLVIII, 16. L, 4. Similiter quoque de se Ieremias, Cap. I, 5. seqq. Neminem poenitebit STAEUDLINII interpretationem contulisse, *Neue Beytraege zur Erlaeuterung der biblischen Propheten*, Goett. 1792, p. 258. Formula illa: *ex utero matris mei recordatus est nominis mei*, i. e. mei, peculiaris Iehovae cura circa vatem inde a primo ortu suo designatur.

2. Gla-

\*) Cf. additamentum notar. ad h. 1.

2. *Gladius acutus* indicat auctoritatem prophetæ ad vitia reprehendenda et excindenda; *umbra* defensionem; *sagitta cuspidata* (coll. Arab. <sup>س</sup>درى, cuius eadem est significatio cum <sup>د</sup>درى *acuit, cuspidavit*, docente Scheidio in Specimine Observatt. ad quaedam V. T. Loca p. 35—37., et cf. Ierem. LI, 11.) effectum sermonum prophetæ longe sese exferentem, et *pharetra*, in qua absconditus sit, iterum divinam protectionem.

3. Indicat Iehova, quid de vatis in suam gloriam studio speraret. Prius huius versus membrum ad eundem illum haud dubie est referendum, qui in tota hac oratione inde ab huius capituli initio, de se ipso in prima persona loquitur, id vero est, ad prophetam (vid. Additam.); ad populum Israeliticum in posteriore tantum membro apostrophe dirigitur. Sensus versiculi non dubius esse potest diligenter perpendenti quæ antecesserunt quæque proxime sequuntur: haec tibi, inquit Iehova, ministro meo mandata dedi, ut populum Israeliticum, in quo vindicando atque amplificando, ipsi mihi gloriam summam adquiram (vid. supra C. XLIV, 23.), hortando, monendo, vaticinando, corrigas et a peregrinorum deorum cultu ad meum reducas.

4. Respondet vates, laboravi, inquiens, ut tuæ gloriæ et voluntati servirem, atque ita laboravi, ut in ea cura vires vitamque consumferim: in vacuum tamen: quia ex longa illa duraque semente laborum, adeo exiguum ex mea gente retuli proventum, ut vane et sine causa laborasse videar. Sed haec una res dolorem meum consolatur, quia Iehova de meo labore atque studio iudicabit. Scit enim Deus, quam ego strenue et fideliter in dato mihi negotio desudaverim; quemadmodum per me non steterit, quominus ex gente Israelitide plures salutem consequuti non fuerint.

5. Etiam si Ifrael ad mea monita nolit converti, ego tamen Iehovae placeo, qui scit, me in officio non fuisse cessatorem: vires enim mihi praebuit ad grave prophetae munus, et spatia laxavit, ad quae potestas illa late se porrigeret.

6. Cum enim videret strenuum et promptum animum ad arduum illud atque grave negotium, Iehova: mihi dixit: „non sufficit mihi, ut Hebraeis tantum praedices, alias quoque gentes ab idolis avertas, dum de illarum fatiis atque vicissitudinibus oracula a me suggesta enuntias, quibus per eventum comprobatis, suorumque deorum vanitate cognita, me solum Deum venerabuntur, quibus ego vicissim defensor et hospitor ero.“ Nam in tota illa, quae praecessit, huius libri parte illud maxime vatem agere vidimus, ut ex priscorum oraculorum eventu, et novorum enunciatione idolorum ostendat vanitatem, Iehovae vero divinitatem, hocque argumento tum Ifraelitas ad idolorum cultum propendentes, cum alias gentes ad Iehovae cultum permoveat. Ad litteram verba Hebraea sic sonant: (Num) *vile est tibi esse tui* (ט ante הויה redundat, cf. *Storrii Observatt.* p. 450.), i. e. ut sis mihi *minister ad stabiliendum stemmata Iacob, et surculos Israel ad reducendum*, i. e. qui populo Israelitico ex exilio reditum, et reipublicae restorationem promittat (cf. infra vs. 8. להקים ארץ להנחיל). Propheta id quod futurum tantum annunciat, ipse efficere dicitur, cf. supra XLII, 7. et ibi not. בצורי qui sint, MICHAELIS optime ex parallelismo membrorum illustravit in *Epimetro ad Lowthii Praelect* XIX. p. 399 edit. sec. Respondent enim *stemmatibus* (שבטים) *Iacobi*. Origo vero vocis בצור ex lingua Arabica petenda est, in qua *نصر* est *virere*, hinc בצורים sunt *rami* tropo ducto ab arbore, ut in שבט. Reliqua commatis pars nihil difficultatis habet, cf. not. supra ad XLII, 7. Sensum supra paraphrasi expressi.

7. Despiciunt quidem te atque odiunt nunc populares tui, sed tempus veniet, quo reges ipsi te ut summum vatem, quem ego ipse ad hoc munus designavi, venerabuntur, atque principes, quid in te Iehovæ legatum, qui nunc ab insolentia procerum opprimeris et male tractaris (עבד משרים) sit virtutis maiestatisque cognoscent. Verba Hebraea: לבוזה נפש למחעב גוי ad litteram sonant: *ad contemtionem animae* cuiusque, i. e. quem quisque contemnit, *ad eum qui abominari facit gentem*, i. e. quem sua gens, non sine abominatione ex animo spernit averfaturque. Prophetæ ob austerum et singulare vitæ genus, morumque asperitatem, qui multum abhorruerunt a ceterorum hominum consuetudine, plerisque contemtui erant. Quia vero præterea vitia moresque sæculi acriter perstringere solebant, ipsisque regibus magna severitate sese opponebant; in odium offensionemque multorum, præcipue procerum et principum, irruerunt. Quam multis iniuriis iactatus fuerit Ieremias, vid. Cap. XI, 19; XII, 5. 6; XV, 10; XVIII, 18. seqq.; XX, XXVI, 7 seqq. XXXII, 3. etc. A Manassæ eo numero interfecti sunt prophetæ, ut eorum sanguine publica civitatis loca redundarint 2 Regg. XXI, 16. coll. Ierem. II, 30. Porro de aliis vexationibus, quas prophetæ pertulere, vid. Nehem. IX, 29. 1 Reg. XVIII, 13. XIX, 10. 14. Matth. XXIII, 37. Cf. Stæudlinii librum supra ad v. I. laudatum, in Præfat., et primam commentationem, quæ inscripta est: *Iesajas und Ieremias, Märtyrer für die Wahrheit.*

8. Mei erga te amoris atque favoris plane singularis plura quidem tibi documenta dedi, dum et precibus tuis sæpe annui, et viribus te instruxi ad grave tuum munus; sed maiora adhuc tibi decrevi: testem te constituam illorum promissorum, quæ ego populo Israelitico de restauranda patria terra atque de reditu in illam dedi. Testis erat sempiternus oraculis suis, quæ in hoc libro consignata legimus.

Ad verbum: *tempore voluntatis te exaudiui, et die auxilii auxilio tibi aderam*; i. e. preces tuas exaudiui et viribus te instruxi. *Et custodiam te et dabo te in foedus, promissionem, confirmationem populi* (i. e. testem, quo populus confirmetur) *ad restituendum terram, ad distribuendum possessiones desolatas* (i. e. fore ut aliquando terra vastata restitueretur).

9. Praeconem te constituam, qui annunciet et afferat iis, qui constricti sunt ferro, libertatem; et liberam atque iucundam lucem illis, qui in foedo et tenebricoso carcere morantur. Ita cohaeret hoc comma cum antecedente, ut ex eo repetenda sint verba: *custodiam te et dabo te in foedus populi*, ad dicendum vinctis, exite, et quae sequuntur; i. e. ut populo promissa mea de futura libertate annuncies. Vides, nostrum e digressionem, quam inde ab initio huius capituli fecerat, in viam atque ad suum argumentum rediisse, lectore fere non sentiente. Pergit enim nunc in futurae libertatis descriptione, imagine e pastoritia vita deprompta: tunc ubique locorum occurrent pascua, ubi grex ille felicissimus in meliori illo seculo saturetur.

10. Nihil ad reditum ipsis deerit; omnia erunt facilia. Perstat in similitudine incoepa cum allusione ad morem pastorum Orientalium, quo post matutinum pastum oves hora diei quarta, quae nobis est *decima*, deducebantur ad *aquas*, deinde ad umbram et quietem meridianam, unde rursus ad *aquas*. Quo facto, iterum pascebant usque ad vesperam et solis occasum. Vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. I. L. II. p. 519; et loca e Lexicographis Arabum in SCHULTENSII *Orig. Hebr.* Cap. VII.

11. Ne vero gregis, qui vel ad antiqua septa congregatur, vel in eius pascuis vagatur et pascitur, aut lassentur gressus, aut dissolvantur unguulae, omnia sic complanabo, ut via sit facilis et aperta. Quare si quid arduum et con-

fragosum fuerit, illud demittam: si quid depressum, atque profundum, illud exaltabo.

12. Undecunque conveniunt, qui exules in peregrinis oris dispersi erant. De סינים sententiam verisimillimam dixit *Bochartus* in *Geograph. S. L. IV. C. 27. Pelusium* intelligendum esse, nempe a פס *luto*, nomen habens, ut Graecis ἀπὸ τῆς πηλῆς, Arabibusque خيال *Lutum*, sive *lutea* dicitur. Aliorum de hoc nomine sententias vide in *MICHAELIS Spicilegio Geograph. Hebraeorr. post Bochartum P. II. p. 32 — 42. coll. Supplem. P. V. p. 1741.*

14. Eo iam deducta erat Iudaeorum captivitas, ut desperata libertate diceret Sion, excidisse iam se ex Iehovae memoria, et de sua salute iam prorsus actum esse.

15. Respondet Iehova Sioni quaerulae, et optima similitudine explicat, quam longe abest, ut Israelis, quem sibi in populum elegerat, memoriam deponat.

16. Alluditur haud dubie ad illum Orientalium morem, hodiernum frequentem, quo sacrarum urbium non nomina sed ipsas moenium turriumque imagines inurere manibus solent, utque perpetua ista imago sit, Hennae seu cypri colore perficiunt, quo fortius earum memoriam recolant, observante *Michaele ad Lowthii Praelectt. p. 399.* Quod ergo habuerunt in manibus Solymitani cives, id quoque Iehova habere se dicit, qui non minus, quam cives, urbem illam amat, cuius etiam se civem et habitorem vocat, *Iesai. III, 9. cuius ignis est Sione, et caminus eius Hierosolymis.*

17. Putabant Iudaei quo tempore iam sese libertas ostendebat, cuius tamen ipsi spem omnem abiecerant, numquam aedificatum iri Hierosolyma; imo non defuturos, qui si quid esset a clade reliquum, illud funditus delere molerentur. Huic cogitationi Iehova occurrit, dum dicit, adesse iam

iam architectos et latomos, qui aedificent, et foras egres-  
suros, qui destruere ac dissipare studeant Hierosolyma.

18. Fingitur Sion prospectans confluentes ad se  
magnos undecunque conventus, cui talia circumspicienti  
dicit Iehova, omnes illos eo spectare, ut Hierosolyma  
eatenus desertam habitent et compleant. Non minus civi-  
tas habitatoribus suis ornatur et instruitur, quam sponsa  
nuptialibus ornamentis.

19. Sepulrae quasi minis suis Sioni Iehova antiquam  
civium frequentiam ita restituit, ut laxa licet murorum  
spatia illam ambire, continere non possint. Zacharias II, 8.  
modo non absimili futuram eam civium frequentiam descri-  
bit, ut praeter illud spatium, quod murorum ambitus cir-  
cumscriberet, multi ex his, qui ab exilio redirent, habi-  
taturi fuerint extra moenia. Ut enim tradit Iosephus Lib.  
XI. Antiqq. Cap. IV. virorum praeter aliam imbellem et  
promiscuam turbam, fuerunt quater millia millium, et  
sexcenta viginti octo millia, dumtaxat e tribu Iuda et Benia-  
min. Quare non modo antiqua civitatis spatia impleverunt  
reduces ab exilio Iudaei, sed etiam suburbia proxima, et  
pagos etiam remotos. Quod aperte docet Nehemias Cap.  
XI. ubi ex eo numero, qui ab exilio rediit, decima tan-  
tum pars habitasse traditur Hierosolymis. Haec Zacharias  
supra; sed aliquid amplius dicit noster hoc loco, qui non  
tantum affirmat, non satis laxa futura antiquis moenibus  
definita spatia multitudini civium, sed etiam angusta fore  
deserta, et solitudines, et *terram ruinae*, id est, quidquid  
perierat Iudaeis ablatum, aut in solitudinem redactum a  
Chaldaeis.

20. *Filii sterilitatis* dicuntur, qui nati sunt in exilio.  
Qui filii sterilis optime vocantur, quia tunc nati, quando  
Sion deserta et squalida, vidua et sterilis iudicari poterat,  
cui repente soboles oborta est.

21. Cum Sion videret tantam filiorum multitudinem reverti, admirabunda clamatura dicitur: quis auxit me tanta, tamque de improvviso filiorum turba?

22. Modum ostendit Iehova, quo exules in civitatem restituet, seu, quod idem est, filios gignet Sioni sterili ac viduae: nsm per gentes a gentibus praedam auferet, quas sublato signo tanquam imperator ad aciem vocabit.

23. Licet reges ea in populum contulerint, propter quae illius nutritii fuisse merito dici potuerint, ut probat Cyri Dariique liberalitas: nihilominus existimo, haec dicta fuisse proverbiali specie, quasi molliter tractandus sit ille populus, non aliter, ac si regio splenderet luxu, et regiis accumberet epulis. Quod vero addit, *reginas* fore illius populi *nutrices*, epitasis est, de qua monuimus ad Iesai. III, 1. Significatur varium et multiplex studium, quod liberali manu ac regia ab omni gentium ordine impendetur in populum, cum primum ex captivitatis sordibus emerferit. Verba: *pulverem pedum tuorum lingent*, alludunt ad morem gentium orientalium, quae venerationis significandae causa totum corpus ante reges humi prosternunt. Ultima commatis nostri verba spectant ad illa supra vs. 14. *dereliquit me Iehova, et oblitus est mei*, desperationis plena, quasi Iehovam incusaret Sion, quod non impleffet fidem, quam saepe per prophetas obligarat. Nunc Deus ostendit, tunc re ipsa explorandum esse Sioni, quemadmodum promissio illa a se fuisset, et quam firma futura sit spes in Iehova locata.

24. Loquens infertur Sion, quae numquam futurum existimaret, ut ab hoste usque adeo potente praeda, id est, captivus populus, eriperetur. Quasi diceret vates: dicebas, o Sion, quando sub Babylonii regis duro tenebaris imperio: equis erit, qui Babylonica haec vincula dirumpat, qui a tanta potentia praedam extorqueat? aut quomodo  
quod



quod captum est, teneturque a robusto victore, de salute ac libertate cogitare poterit? Quum verbum צָרֵק in origine *rigidum tenorem* indicet; hinc צָרֵק aequè virum *rigidae* et *inconcussae iustitiae* significare potest, quam *tyrannum rigidum*, tristemque et saevum bellatorem, ut hoc loco. Vid. Schultensium de Defectibus hodiernis Linguae Hebraicae, §. CCXVII. et deinceps, sed praecipue CCXIV. Versu sequente statim pro illo ponitur עָרִיץ.

25. Respondet Iehova, se effecturum velle, ut quid fortis cepit, illud vel invitus dimittat, libertatemque consequantur, et salutem, qui a victore saevo in alienam regionem sunt ablegati. Verbum רִיב, *iudicare*, hic aliquid severius, atque superius significat, ut patet. Quales fuerunt Chaldaei, dum expugnaverunt Hierosolyma, et captivos imperio longo et duro vexaverunt. Quibus vicem redditurum se dicit Iehova, quia et ipsi ab hoste potentiori superabuntur, et qui reliqui fuerint a caede, aerumnosam servitutem subibunt; ita ut idem sit postea de Chaldaeis, quod de Iudaeis fuerat ante iudicium.

26. Cum nihil angustius possit cogitatione fingi, quam si quis eo redigatur, ut aut suas, aut suorum carnes comedat, facile apparet nostrum summas rerum angustias explicare voluisse, eam praecipue afflictionem, quae est ab hostibus, qui nimis pertinaciter obsidionem urgent. Vid. Deuter. XXVIII. Ea erit rerum commutatio, ac vicissitudo, ut omnes intelligant non ea, quae hoc vaticinio continentur, humanis peracta fuisse consiliis, sed auspice atque auctore Deo.

L. I. Ostenderat Iehova, captivum populum ex Babylonica servitute fore redimendum. Nunc id ipsum posse fieri docet a causa tam morali, quam physica; partim removendo id, quod legitime impedimento esse poterat; partim afferendo id, quod ad libertatem potissimum est (vs. 2). Et primum, quod ad legitimam causam spectat, similitu-

dinem sumit ab antiqua Hebraeorum consuetudine, quibus libellus repudii permissus est, Deut. XXIV. Quemadmodum autem liber repudii, et solemne divortium impedimentum est, quominus uxor a marito ad torum, a quo legitime exciderat, admitti possit: sic etiam alterum est morale item impedimentum, quod cavet et prohibet, ne quis servos a se venditos retrahat ab alterius dominatu. Ait ergo Iehova, nullum ius prohibere, quo minus captivum populum ab exilio vendicet. Seipsum enim Iudaei, cum sceleribus recefferint a Deo, ultro severissimis Dominis vendidere. Iure itaque Iehova sua, quae non alienarat, vendicare sibi potest, cum nondum legitime abierint a domini potestate.

2. 3. Hoc numeratur in sceleribus, propter quae captivi abducti fuerint filii, et mater dimissa, quod, cum Iehova per interpretes, prophetas ad Iudaeos loqueretur, nemo erat, qui animum ad illa prophetarum verba sic adverteret, tanquam si in illis aliquid esset et veritatis, et ponderis. Verbis קצרה קצרה ירי aptius novum comma inciperet. Facultatem sibi non deesse affirmat et vires, ad illa libertatis officia, quae promittit. Quem in finem ad exempla alludit antiqua, quae fuerunt illustra divinae virtutis documenta, quibus satis etiam externis nationibus probavit Iehova, et quantum posset, et quanti faceret populum, sibi ex omnibus electum. Duo hic commemorantur divinae potestatis miracula: et siccatum mare rubrum, magnoque tractu a suis aquis desertum, adeo, ut in arido atque sitienti alveo perierint pisces: et tenebrae densissimae, quas, tanquam sacrum, Iehova obduxit Aegyptio coelo. Ait ergo Iehova, si opus sit, illa eadem praestare in liberando populo ex Babylonica servitute, quae praestitit olim, dum liberavit ex Aegypto, neque deesse sibi animum, neque exhaustam virtutem.

4. *Cam proxime vates commemorasset nonnulla, quae in liberando populo ex Aegyptiaco iugo contigerant, ut apertum mare, coelum obductum tenebris, nunc iam eodem spectans meminit Moſis, qui illius libertatis ſuaſor, et princeps fuit, cum quo propheta, Babylonicae libertatis vindex, ſe ipſum componit. Fuerat Moſes impeditae linguae, neque eruditae ad ſermonis promptum et elegantem uſum; deinde ſaepe reſuſavit imperium, et retrorſus abire deſideravit. His ergo duobus, quae in Moſe fuerunt infirma, parumque idonea inſtituto, ad quod a Iehova vocabatur, duo illa de ſe occulte propheta opponit: et quod linguam habuerit eruditam, neque indiguerit interprete, aut adminiſtro; neque praeterea horruerit datum ſibi negotium, aut retrorſum abire meditatus ſit, quod tentavit non ſemel Moſes. — Oſtendit vero hoc commate, unde naſtus ſit linguam eruditam, in qua ſermo etiam eruditus continetur, qui ſane ſine ſcientia eſſe non poteſt, unde eloquentiam hauriat, quo languentes, ac deſperatos animos excitet, et confirmet ad ſpem ſalutis et libertatis. Ut vero ſignificet, quantum ab optimo magiſtro Deo eruditionis habeat, ſingulis diebus repetita, et iterata frequenter praeccepta dicit.*

5. *Deus docuit me, edixitque, quid a me praestari vellet. Ego autem illius mandatum, grave licet, atque arduum, lubens ſuſcepi, neque propoſito vitae discrimine durum illud negotium detrectavi.*

6. *Ita in omne discrimen prompto ac confirmato animo fuit, ut non ignominias, non plagas, non ipſam denique mortis acerbitatem horruerit, quominus audaci atque conſtanti peſtore principibus Iudaeorum occurrerit, cf. not. ſupra ad Cap. XLIX, 7. Graviffimam fuiſſe ignominiam, barba nudari, notum eſt.*

7. *Iehova prophetae ſemper aſtitit in illo plagarum convitiis et conſictu: quare neque fractum ſe eſſe in*

illa dolorum carnificina, neque confusum, ubi tot ingruerint confusionis causae. Illud: *posui faciem meam ut petram durissimam*, proverbialem figuram habere suspicor apud Hebraeos, qua aliquid significant ita intrepidum, ut nihil horreat, aut ita ad resistendum potens, ut nemini cedat, aut succumbat. Quod cum ad laudem saepe, ad vituperationem tamen aliquando conferri solet: quia durum se praebere ad aliorum verba, aut ad varios casus, qui interdum occurrunt, nonnumquam invicti animi constantiam, nonnumquam obstinatae mentis pertinaciam indicat. Hoc posteriori modo sumitur Zachar. VII, 12. *Aures suas aggraverunt, ne audirent, et cor suum posuerunt ut adamantem.* Eodem modo Ezech. III, 8. dura Israelis frons impudentiam designat. In meliorem tamen partem sumitur dura Ezechielistfacies ibidem. Ubi sic Iehova ad Ezechielem: *Ecce dedi faciem tuam valentiorē faciebus eorum, et frontem tuam duriorē frontibus eorum: ut adamantem et silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* Translatio haec aut a petra sumitur, quae est in medio mari, quam dum alluunt aut verberant fluctus, non concutiant, aut atterunt, sed potius ad eam allisi franguntur fluctus, abeuntque in levissimam atque vanissimam spumam: aut certe ab adamante, qui, ut fert communis hominum existimatio, tam longe est, ut artificum ferramentis cedat, ut ipse potius illa non solum obtundat, sed etiam diffingat. Est autem familiare, animum contra adversae fortunae impetus infractum, aut per adamantem, repellentem ictus, aut per scopulum appulsum fluctibus significari.

8. Adest mihi, qui causam suscipit defensionis meae, quique me iustum contra inimicorum calumnias, atque ludibria declarat. Quis ergo obvium se mihi et adversarium offeret? quis sceleris arguet? Qui adversum quidquam, aut molitur, aut cogitat: age accedat ad me, et quantum contra me valeat, experiatur. מצדק *iustificans* hoc loco est,

est, iustum declarans. בעל כושמו est *adversarius*, ut apud Chaldaeos בעל דין.

9. Suo me praesidio tegit atque communit Iehova, quis ergo erit, qui sceleris me convincat, aut arguat? Quotquot de me aliquid iniquum cogitant, aut inurere nomini meo volunt infamiae notam, nae illi tabescent, et deficient, sicut vestimentum, quod tinea rodit, atque consumit.

10. Suo exemplo exulibus atque captivis fiduciam commendat, eosque ex illis, qui Iehovam timent, eius inniti auxilio iubet. Illi qui in tenebris ambulant sunt captivi, in obscuris carceribus oclusi (cf. supra C. XLII, 7.) quibusque libertatis lux (כרה) adempta.

11. His, qui Iehovam timent, et prophetam audiunt, spem confirmat, et animum corroborat in duro rerum adversarum confictu, de quorum numero, quia pauci fuerunt de Iudaeorum gente, ideo ex scriptorum Hebraeorum usu, qui universale signum saepe apponunt, ubi ex magno numero pauci eximuntur, omnes defecisse ait, et sibi adstruxisse malum. Loquitur autem de illorum interitu, qui sibi ipsi perniciem moliti sunt, tanquam de quodam incendio, ad quod ipsi accendunt, atque coniciunt faces, dum non solum in peccatis obstinati haerent, sed nova veteribus accumulunt peccata. Pius huius comminatis membrum sic est reddendum: *ecce omnes vos ignem extundentes, et cingentes, i. e. constringentes vos, malleolis.* קרה proprie est, *ignem elicere, s. extundere* (vid. SCHULTENSII *Orig. Hebr. L. I. C. II.*), וקרה vero sunt *laqueoli picei, qui scintillas et flammam nutriant*, probante eodem Schultensio in *Commentar. ad Proverb. p. 368.* Verba comminatis nostri novissima: *ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis,* nihil aliud sibi volunt, quam conflagratos impios eo incendio, quod ipsi iam pridem in se ipsos accendunt et fovent.

Ubi ironicus sermo confumentis ignis naturam describit, in quo et vis est ad nocendum acerrima, et splendor ad lucendum luridus et exiguus. Ac si dicat, Eritis in aeterna caligine, et in flammis ad urendum vehementissimis.

II. 1. Ad illos se nunc iterum convertit propheta, qui Iehovam timent, spemque locaverunt in illo: quos allocutus est vs. 10. Cap. praeced. Exemplo Abrahami et Sarae, generis sui parentum, illos hortatur, ut bene de suis rebus, et reipublicae restauratione sperent. Consolabitur enim Deus Sionis solitudinem, implebitque numerosa sobole illa loca, quae deserta et abiecta censebantur. *Petra ex qua excisi*, et *fovea ex qua effossi* dicuntur Israelitae, metaphora est, quae originem liberorum ex parentibus figurat, quem propheta in versu sequenti explicat. Cf. similem tropum Proverb. V, 15.

2. Pauci erant superiores illi, de quibus nuper (vs. 10. Cap. praeced. coll. not. ad vs. 11.), qui Deum revererentur, et vocem audirent prophetae. Quare ex infirmo atque pusillo grege nihil magnum sperare posse videbantur. Horum igitur animos parentum suorum commemoratione confirmat vates, proponitque in parentibus, quae omnem spem, non modo numerosae sobolis, sed omnino posteritatis praeciderent. Ut enim ex Abrahamo, cuius corpus iam senile erat, et effoetum, numerosa gens est propagata ita, etiamsi exiguus sit piorum, sive redeuntium numerus, ex eo tamen nascituram infinitam multitudinem, qua ornetur et abundet Sion.

3. Sionis agros sic pervagatus erat hostilis furor, sic in urbe grassatum incendium, ut ager olim cultus desertus esset, et sylvarum in modum ferus et squalidus, et in civitate non tam antiquae gloriae, quam ignis vestigium appareret: sic tamen affulgente libertate conversa est civitatis fortuna, ut in deserto ac solitudine hortum amoenum spectes,

species, et ubi prius nihil nisi lamenta, querimoniae, atque eiulatus audiebantur, nunc iam resonent festivi cantus, et iubilantium chori.

4. 5. Loquitur hic ad paucos illos, qui ex tanta Iudaeorum multitudine Iehovam reveriti, in patriam redierunt, quosque exemplo Abrahami ad spem vocaverat numerosae prolis. Nunc quomodo amplificanda sit restaurata Sion, et illius implendae ruinae docet. Populo Israelitico aliae etiam gentes aggregabuntur, atque Iehovam regem venerabuntur, cuius leges animo lubentissimo excipient.

6. Confirmat huius promissionis fidem. Maiorem firmitatem esse atque constantiam in divinae promissionis fide, quam in coelorum, terraeque firmamento. Cf. infra Cap. LIV, 10. שמים כעשן כמלחא propr. *coelum ut fumus abibit*, s. abigetur, coll Arab. *خالو* longe et cito abire, petita a fumo imagine, quem ventus dispellit.

7. Ex promissae libertatis atque salutis firmitate bono esse animo iubet pios ex Israelitis in medio illorum hominum conspectu, qui exules opprobriis ac petulantia vexant, atque ob spem in Iehova positam irrident.

8. Supra Cap. L, vs. 9. ostenderat vates, quam infirmi sint illi, qui ipsius consiliis suam opponunt audaciam et insidias, quandoquidem a se habent, quo consumantur et deficient, sicut vestimentum in se continet tineam, a qua corrosus intereat. Idem nunc repetit, ut ostendat, piis Iehovae cultoribus nihil esse metuendum ab impiorum opprobriis, quandoquidem illis festinus imminet interitus, vel a se ipsis, etiamsi ab aliis nulla intercedat externa vis, cum tamen salus piis promissa semper duratura sit.

9. 10. Nuper (Cap. praeced. vs. 1. 2. 3.) dixerat Deus, sibi facile esse, captivum populum ex Babylone eripere, idque iis prodigiis, quae in Aegypti libertate contigerant,

tigerunt, confirmaverat, neque sibi deesse antiquam fortitudinem, ut non possit postea similia, aut maiora suscipere. In hoc vero capite (vf. 4.) in eandem sententiam aliquid dixerat etiam de *brachio suo*, id est, de fortitudine. Horum omnium memor, aut populus, qui salutem expectabat, aut illius curator et patronus Iesaias, orat, ut quamprimum Iehova liberet promissi fidem, et edat illustra illa, ac prodigiosa fortitudinis argumenta quae vidit Aegyptus, et quae ipse statim brevi narratione complectitur, id vero est, ut debellata Chaldaeorum potentia ipsos in patriam liberos reducat.

11. Hic subsaudienda videtur similitudinis nota, quasi dicat: sicut olim aperto mari, atque ibi Pharaone demerso exultarunt Hebraei, et tympanis atque sistris concrepantes, Iehovam suae libertatis vindicem, laudaverunt; sic continget iis, qui e Babylone in patriam reducentur.

12. Huc usque orat propheta, aut populus, iam Deus illius orationi respondens, persuadet his, qui in se sperant, nequaquam esse metuendum; cum et ipse redemptor, et consolator futurus sit. At qui ipsos vexant et opprimunt, mortali sunt conditione nati et ita fragili, ut cum foeno, quod mane floret, et mane decedit, et arescit, comparari possint. *והוא* foeminei generis est, ideo, haud dubie, quod Sionem alloquitur Iehova.

13. Ostendit, undenam ortus sit timor ille, quem patitur Iehovae cultor, cum tentari se videt ab aliquo incommodo, quod infligit, aut minatur vilis homuncio, quo non citius foenum deflorescit et perit; quia scilicet non considerat habere se patronum vindicem, et factorem suum eundem, qui omnipotente dextra tetendit coelos, et fundavit terram, et contra omnium seculorum vim et iniurias aeternam dedit firmitatem. *כאשר כונן להשחרח* ad verb. *quum, quando* (ut supra XXIX, 7.) *parat se* (Iob. VIII, 8.) *ad perdendum.*



14. Non diu morabitur servator tuus, iam iam adest, ut vincula dissolvat, et aperiat carcerem, in quo tibi pereundum arbitrabare. Non ita percutiet Iehova, ut interimat; neque ita fame laborare permittet, ut deficiente pane tu quoque deficias. Ad verb. *Festinat incurvatus solvi*, i. e. vinculis ita constrictus, ut inclinetur et incurvetur, nec semet erigere queat. Nam verbi צעה significationem primariam esse, *inclinari*, ita ostenderunt NICOL. GUIL. SCHROEDERUS in *Observatt. ad Origg. Hebr.* p. 37. et MICHAELIS in Supplementis sub hac voce, ut nemo de illa notione dubitare possit.

15. Neque est, cur in summo etiam periculo constitutus de tua salute et libertate desperes. Ego enim sum Deus tuus, contra cuius imperium nulla potest excitari aut increbrescere tempestas, cuiusque dexteræ nulla repugnare potest potentia.

16. Te, Iesaja, ad hoc munus elegi, atque ideo singulari te cura complexus sum, (cf. supra XLIX, 2.) ut illa mea consilia de restituenda Israelitarum republica populo meo significes, hisque lætis promissionibus tristes exulum animos erigas. Vatem esse, ad quem sermo convertitur, res ipsa docet. Quod vero ad sensum horum verborum: לנטע שמים וליסד ארץ; adscribo Dathii explicationem: Phrasis, inquit, est tropica, prophetis saepe usurpata, qua regni alicuius restitutionem comparant cum creatione novi coeli novaeque terrae. Atque e contrario de destructione eius loquuntur, tanquam de interitu mundi. Ultima verba priora manifeste explicant, atque loca prophetae nostri Cap. LXV, 17, LXVI, 22. hunc huius phraeos sensum plane evincunt. Modo ne offendant tirones in infinitivis לנטע et ליסד qui respondent verbo finito, quod praecedit (אשים רבלי בכך) quasi dicat: *ponam verba mea in ore tuo*, i. e. mea consilia tecum communicavi, quae consilia haec sunt, me velle creare novum coelum et novam terram,

terram, id vero est, ut explicatum est, terram Iudaicam nova facie induere.

17. Iusserat proxime Iehova vati, ut futuram illam reipublicæ restorationem populo aannunciet. Quod mandatum nunc ita exsequitur vates, ut, excitatis prius afflictis Iudæis, ut animos ad suum sermonem attendant (quod his verbis facit: הַתְּעוֹרְרִי הַתְּעוֹרְרִי קוּמִי יְרוּשָׁלַיִם) primo proponat illud malorum agmen, quod pro peccatis immissit ipsis Iehova (vs. 17 — 21.); tum vero sedatam Iehovæ iram, et meliorem rerum Iudaicarum vicissitudinem promittat (inde a vs. 22.). Verbum הַתְּעוֹרְרִי hic dicitur de eo, qui se ipsum aut alios ad audiendum excitat, sicuti infra Cap. LXIV, 6. idem verbum de illis usurpatur, qui se ipsos aut alios excitant ad aliquid faciendum. Metaphora *vini* atque *ebrietatis* familiaris est inter Hebraeos, quae aut vehementem laetitiam significat aut ingentem dolorem et perturbationem. De dolore gravi et vehementi angore ac perturbatione plura sunt exempla. Ierem. XXV, 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.* Et Cap. XIII, 12. dum magnam ostenderet calamitatem et turbationem, cum ageret de hoc ipso Iudæorum statu, ait omnem lagunculam implendam vino, i. e. singulos ebrios futuros eo vino, quod stuporem et dolorem inducit. Ps. LXXIV, 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus etc. bibent omnes peccatores terrae.* כִּסֵּה הַהַרְעֵלָה est *spumatio calicis tremoris*. Solent enim Arabum poetae *spumantis oris fasciam*, *raeniam* vel et *spumantis paterae cidarim* figurare sub vocibus عِصَابِيَّة et عِصَابِيَّة fascia, alba praefertim, in cidaris formam convoluta, quae cum nostro קִבְעָה קִבְעָה, item *mitra* significante, eandem habent significationem. Vid. Schultensium in Commentario ad Proverb. p. 284., ubi huius figurae exempla collegit ex carminibus Arabicis.

18. In tantis rerum angustiis nullus est ex numeroſo filiorum grege, qui Hieroſolymae afflictae ſolatio ac levamento fit, apprehenſaque manu eximat ex aerumnosa et vili ſervitute.

19. Duo proponit calamitatis genera, quae paſſus eſt populus ab hoſte Chaldaeo. Alterum, interim dum obſidio duraret, quia plerique Iudaeorum tunc aut extabuerunt fame, aut ceciderunt ferro. Alterum peracta obſidione, quia vaſtata eſt et exuſta civitas: et hi quos reliquos fecere ferrum et fames, aerumnis aliis, et duro victoris exercitus dominatu contriti ſunt.

20. Filii tui, Hieroſolyma, ſic ab hoſte victore oppreſſi, ſic abiecti ſunt, ut in plateis viarumque angulis decumbant, quia nullum habent in ſua fortuna diverticulum magis opportunum; neque ibi tuti ſunt a plagis et iniuriis; conciduntur enim a barbara et petulante turba nihilo mitius, quam a venatoribus illaqueatus oryx. חרף, ſive, ut Deut. XIV. transpoſitis litteris ſcribitur, חרף illam eſſe Gazellarum ſpeciem, quae a recentioribus hſtoriae naturalis ſcriptoribus *Antilope Bubalis* vocatur, verifimile fecit Oedmann in libro, cui titulus: *Vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde* Fasc. IV. Cap. II. p. 23. verſ. germ.

21. Idcirco, miſera Hieroſolyma, quam implevit, inebriavitque, non vinum, ſed plagarum inſiſtus, et doloris acerbitas, audi, quid iam placatus Deus et benignior dicat.

22. Refert nunc vates ad Iudaeos ſolamen illud, quod Deus illi mandaverat, cf. not. ad vſ. 17.

23. Ait Iehova calicem illum furore ſpumantem, quo inebriata dicitur Hieroſolyma, ex illius manu, conviviali more, nunc perventurum ad Chaldaeos, qui irrogatae iniuriae et offenſae humanitatis poenas expendent. Verbis his: *et dixerunt tibi, incurvare, ut tranſeamus, et poſuiſti,*

ut terram corpus suum, summus aerumnarum atque contemtus gradus designatur, quo venerint captivi Iudaei apud Babylonios. Nam qui victi sunt ab hoste maxime insolenti, et barbaro, nihil recusare audent, quod modo libeat voluntati seu libidini dominorum. Sed illud durum et miserabile, quod se calcandos praebent aliorum pedibus; neque, iussi incurvare se, ut per strata ipsorum corpora victores incedant, contra mutire, aut fortunam suam lamentari audent.

LII. I. Iam vero afflicti exules iubentur excitare se, et meliora atque maiora meditari: nempe ut animos assumant viriles, et se ipsos, excusso sopore, fortitudine accingant. Et qui prius servilem conditionem et ignominiam passi, calcandos se praebuerunt victorum pedibus, et indumentis suae fortunae consentaneis, laceris et vilibus, ornet se aliis, quae priorem despuant conditionem, et honestiorem oleant. Reddit autem rationem, cur futura sit illa morum indumentorumque mutatio; quia iam civitas illa non Assyriis aut Chaldaeis, aut externis dominis sed Iehovae servitura sit, et in illius religione et patrocinio futura: quod his verbis significat: *non uliro te intrabit incircumcissus et immundus*. Saepe Chaldaei civitatem sanctam invaserant, concularantque, et suis spoliabant ornamentis (cf. 2 Regg. XXIV, 25.): nunc restituto populo, et instaurato templo dicit propheta, non iam amplius ipsos, aut alios incircumcisos esse venturos. Qui etiam immundi dicebantur, quia peregrina atque immunda colebant sacra, et quia his utebantur cibis, quos lex Mosaica iudicabat immundos, et a quibus severe circumcissum et mundum populum deterrebat.

2. Proxime (LI, 23.) vidimus stratos esse filios Sionis humi, suaque corpora inimicorum pedibus calcanda praebuisse; id quod nunc *pulvere* indicatur. Iam vero Ierusalem, quae aegra, atque aerumnosa iacebat in pulvere, iubetur,

betur, ut ab eo se et ab aliis servitutis sordibus se excutiat, et quae iacebat prius, iam confurgat.

3. Vendidere se gratis Iudaei Babyloniis, quia nullo pretio a Babyloniis emti, sed tantum bello capti: sicut fera a venatore comprehensa, nullo pretio existimatur emta, quia gratis oblata censetur a fortuna. Redempti autem dicuntur a Deo sine argento, quia Cyrus tam longe fuit, ut ab exulibus et servis pretium libertatis exigeret, ut potius ad templi fabricam et ornamentum et vasa reddiderit ablata a Nebucadnezare, et aliunde necessaria omnia regia ac liberali manu providerit, vid. Esrae I. VI.

4. Supra, ut nuper vidimus, neque id semel, exemplo sumto ex Hebraeorum libertate ab Aegyptio iugo probaverat Iehova, se posse facile fracta Chaldaeorum potentia liberare captivos, idque se facturum pollicitus fuerat. Hoc idem nunc confirmat et repetit, ita tamen, ut aliquid omittat, quod in re saepius iterata, et cuius memoria recens, fieri solet. Puto ergo hanc esse sententiam: populus meus olim in Aegyptum descendit, et ibi tanquam colonus et peregrinus habitavit. Quem ego a rege barbaro violenter oppressum in libertatem asserui. Ecce Assur eadem nunc inmanitate eundem vexat populum. Quid ergo nunc otiosus sedeo? quin statim me ad eius libertatem accingo? cum eadem possim, quae Aegyptiis temporibus, neque desit mihi voluntas et studium populum iuvandi. *Assur* hic haud dubie est Nebucadnezar, qui Iudaeos eo tempore, quod nunc respicit vates, duro apud se tenebat, et premebat imperio: qui licet Assyrius non esset, sed Chaldaeus, *Assyrius* tamen vocatur, quia Assyriorum imperio ad Chaldaeos translato Assyriis quoque dominabatur. *באדם* *pro nihilo*, id est, impune.

5. Graviter commovet ingenuos animos, cum aliquem vident gravibus premi incommodis: quod si illa per-

ferri intelligunt sine ullo operae, atque molestiae pretio, multo commoventur aegrius. Ea cogitatio divinum pectus graviter urit et cruciat, quod Iudaei sub Chaldaeorum imperio dura patiantur, neque tamen molesti laboris aliquam mercedem exspectent. Hinc Iehova in illam vocem erumpit: *et nunc quid mihi est hic?* quid ego hic moror, cum sic maus exerceatur populus? *Domini eius magnifice splendent* (חֲבִיבָה posito pro חֲבִיבִי, eoque pro חֲבִיבִי, cuius mutationis rationem optime explicuit Storrius in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 177. not., cui etiam totius huius incisi interpretationem debemus), *sed meum nomen continuo spernitur*, reiicitur. Istorum, qui in exilium proiecerunt populum meum, istorum virtus praedicatur, isti superbiunt, sed Deus Israelitarum ut victus a gentium illarum idolis spectatur et contumelia afficitur, dum putatur infirmus ad salvandum populum suae religioni consecratum, ut hanc ignominiam a suo nomine depellat Iehova, surgendum sibi esse dicit, et liberato populo gentibus ostendendum, sibi ad salvandum neque fidem, neque potentiam deesse.

6. Propterea ego, qui populo meo praestituto tempore libertatem promisi, ecce quamprimum adero. Cum vero vindex advenerim, tunc cognoscet populus, et gentes intelligent, fidelem esse me et potentem ad praestanda promissa.

7. Sensus est, gratum esse adventum eorum, qui facta iam a Cyro redeundi facultate, antegressi alios ad regionem montosam Palaestinae veniant annunciantes Iudaeorum reliquiis, quae in Iudaea remanserunt, melius esse a Deo consultum de re Iudaica, et ipsum iam regni sedem Sione figere, ubi hucusque regnarant Chaldaei.

8. Speculatores, qui ex edito loco, quae undecumque ingruunt, late prospectant, voces dicuntur levaturi laetitiae atque gratulationis plenas, cum viderint, *conversam*

*iam esse Sionem*, id est, Iudaeos captivos in antiquam sibi sedem catervatim remigrare. Qui clamabunt, non se id incertis vulgi rumoribus accepisse, sed suis oculis evidentissime conspexisse. — Coniungendus autem est hic versus cum sequente: hoc modo: *Vox speculatorum tuorum* (qui tollunt vocem suam, et simul cantabunt, quum oculo ad oculum viderint, quod Iehova reducat Sionem; haec erit: *Personate, cantate, et quae sequuntur versu nono.*

9. Haec vox est speculatorum, qui Sioni gratulantur, quia iam advenit salus et pax per Deum a Babylonica servitute comparata, quique moestum populum, qui desertae Hierosolymae ruinas incolebat, accessione remigrantis populi consolatur.

11. Propinquum iam esse et instare proxime aut certissimum esse aliquid existimatur, cum loco futuri imperativus modus adhibetur: id nunc indicat propheta cum populum toties iterato imperativo e Babylone revocat. Et quia libente, imo et invitante Cyro securi et sine turbatione remigrabunt, hortatur, ut ea faciant in peregrino solo, quae in patrio facerent, si quid sacrum sancte atque legitime obire voluissent. Nam Levitas priusquam sacra tangerent, aut sacrum quid obirent, mundos esse oportebat: Cum autem reducenda essent templi vasa, quae Nebucadnezar de templo sustulerat, monet, ut patrio more nihil tangant immundum aut pollutum: quod si tetigisse aliquando contigerit, iubet ut se prius ex more purificent.

12. Peregere olim Hebraei sacra a Iehova instituta festinato et trepide, cum iussi sunt excedere ab Aegypto, neque expectare potuerunt, donec fermentaretur massa, ex qua parandus erat cibus profecturis, nec mirum, cum instaret Pharaon et urgerent Aegyptii, de quorum crudelitate atque odio nihil sibi poterant non timere. Nunc vero in Babylonia, cum magnam iniissent apud principem gratiam,

per quem non solum licebat in patriam reverti, sed etiam, ut avidè illud iter arriperent, ultro ipse invitaret, deque rebus ad viam necessariis abunde provideret: exeundum dicit vates, non cum festinatione et metu, sed pacate atque securo animo. Quare satis fore ait quietis atque otii, ut se ipsos purificent, si quid tetigere, unde immunditiam contraxerint, ut antiquo more iam pridem intermisisse, sanctè atque legitime sacra vasa ad usum templi postliminio redita contingerent.

13. En, inquit Iehova, quasi redeuntes ex Babylonia iam praesentes conspiciat, en vatem illum meum, qui haec omnia longe olim praedixerat, illustri nunc modo vindicatum! Sive: cum illa omnia evenerint, tunc vates, minister meus, qui ea praedixit, modo plane illustri vindicabitur, omnesque eum divinum legatum suspicient, eiusque memoriam praecipuo honore colent, qui, dum viveret, omni iniuriarum et contumeliarum genere laceratus esset\*). Ad hanc sententiam redit tota illa oratio, quae usque ad finem Cap. LIII. decurrit, quam non incommode *Threnum in Iesaiam* vocavit Staeudlin in Commentatione supra ad Cap. XLIX, 1. laudata, in qua Commentatione totum hoc segmentum multo feliciter explicavit, quam plerique ante ipsum. Rectè cum nostro loco composuit duo ex Ieremia loca (XX, 7—13. et XV, 10—21), ubi hic vates de inimicorum iniuriis et vexationibus graviter questus infertur. Ex nostro huc pertinent loca supra XLIX, 7, L, 6. seqq. Hic primo loquitur Iehova (vs. 13. 14. 15. LIII, 1.): minister meus inquam a suis aequalibus omnibus probris oneratus, olim apud ipsos reges et universas gentes magno honore et pretio habebitur. Verbum *ישכיל* hoc loco significat: *prospero rerum successu utitur, provinciam sibi demandatam felicissime administrat*, cf. Ios. I, 7. 8. 1 Sam. XVIII, 14. ubi cum *הצליח* componitur, Deut. XXIX, 8.

14. 15.

\*) Cf. additam. notar. ad h. 1.



14. 15. Cuius tristem et afflictam conditionem cum fastidio et ludibrio stupuerunt aequales, idem ille maximam olim sui reverentiam omnium animis infiget. Quomodo coniungendus sit versus 14. cum sequente, satis ex versione patebit. Verba כן משחה, et quae deinceps sequuntur usque ad finem versus, uncinis inclusimus. Ad litteram sic erunt reddenda: *ita corruptio minus quam viri adspectus eius* (sive, *adspectus eius corruptio, minus quam viri*, quasi totum hominis adspectum ipsam corruptionem diceret, ita deformatus est, ut hominis faciem amisisse videretur) *et forma eius minus quam hominum!* De particulae כן minuendi atque negandi vi, orta ex radice praescindere, abrumpere, diminuerere, saepe iam monitum. Confer Storrii Observatt. p. 253. not. Verbum נרה proprie significat *salit, exiliit* (vid. SCHROEDERI Observatt. ad Origg. Hebr. C. VIII. ubi tota huius verbi vis ex ipsis Arabum Lexicographorum fontibus optime est exposita); hinc non solum ad *laetitiae exultantis* motum, sed universe ad quascunque animi vehementer commoti perturbationes translatum est, ita ut *tremoris* quoque, *consternationis* et *admirationis adfectibus* exprimendis inserviret, haud aliter ac Hebraeorum et Arabum גרל, quod, cum proprie sit, *in orbem ire, saltare*, non solum ad laetitiam exultantem, sed etiam ad trepidationem et reverentiam refertur, ut Ps. II, II. Hof. X, 5. Quae scita est observatio Martinii, V. S. V., in *Commentatione Philologico-Critica* ad nostrum threnum (Rostoch. 1791.) p. 29. Verbis, quae proxime sequuntur, עליו יקפצו מלכים פיהם itidem inest summae venerationis descriptio. Alias in simili contextu dicitur ישימו יד על פה, cf. omnino locum Iob. XXIX, 9. 10. 11. ubi Iobus, quanta eius olim fuerit apud omnes auctoritas, declaraturus, *proceres*, inquit, *abstinebant a verbis, manu ori admoda, faucibus adhaerebat lingua.* Sensus verborum פיהם לא יקפצו להם et eorum quae sequuntur ad finem commatis, est hic: ubi

rem plane insolitam et antea inauditam, populum Israeliticum ex victorum potentium potestate libere dimissum esse, vere factam intelligent; tunc divinum illum ministrum, qui ea omnia olim antea praedixerat, ipsi reges reverbuntur.

LIII. 1. Praenuntiavi, inquit Iehova, praeclarum illum eventum multo antea, sed nemo fidem habuit nostro sermone (שמעתי *prop. to audire*, hinc *fama, rumor, quidquid vulgo narratur*, unde *sermo quicumque*, ut Obad. vi. 1. Ierem. XLIX, 14.), nemo intellexit, sive intelligere voluit, quae virtute sua divina perfecturum se velle Iehova promisit. Vocem זרוע *brachium*, non minus quam יד apud Hebraeos (vid. Iob. XXVI, 11.) et Arabes (vid. Reiskium ad Abulfedae Annal. Moslemm. T. I. p. 450. not.) symbolum potentiae atque virtutis frequentissimum esse, omnibus notum. Constructionis insolentia, qua גלה h. l. adsciscit particulam על neminem offendet, qui meminerit, Arabico quoque جلي particulam علي in constructione subservire, nec deesse exempla similia verborum, quae promiscue cum ה et על constructa reperiantur, vid. Esai. XXXVI, 12. Ps. XIII, 6. 18. 42, Esai. XXIX, 12. cf. etiam Ierem. XI, 26. quo loco idem hoc verbum post se admittit particulam אל. Totam sententiam planius ita exprimere possis: אח פכל ורהוה מי וביט. *Martini.*

2. Infert poeta ferioribus hisce temporibus Iudaeos vati quondam aequales, qui cum haec omnia, quae homo olim ab ipsis contentus praedixerat, vere ita evenire viderant, erubescens causas aperiunt, cur verbis propheticis nullam fidem habuerint, et quam falsa de illo opinio ipsos tenuerit, confitentur. Non existimavimus, inquiunt, hominem, conditione et habitu tam miserum atque ignobilem dignum esse, in quem oculos converteremus: qui talis erat inter alios, qui aliquo in numero censentur hominum opinione, quale spectari solet virgultum tenue de terra arenosa

nosa et sterili inter speciosas et proceras arbores. Pro eo  
 quod virgultum reddidimus, in Hebraico est יונק, quod  
*sugentem, seu lactentem* significat. Et licet proprie  
 de animali dicatur, cum tenerum est, et maternis adhuc  
 alitur uberibus, tamen accommodata translatione pro vir-  
 gulto ponitur, aut planta, quae primum oritur, neque  
 dum ab altrice terra videtur erupisse. Forma affinis יונקה  
 eodem sensu dicta extat Iob. VIII, 16. 15. 30. Pf. LXXX, 12,  
 Similis usus est nomen יונק apud Arabes, quod pro-  
 miscue de pullis animalium et de plantis adhibetur, auctore  
 Phiruzabadio, apud Schroederum in Observatt. ad Origg.  
 Hebr. p. 135. Hebraeorum poetae plantarum nominibus  
 saepe varios hominum status explicare solent. Nabucho-  
 donoforis amplitudo et potentia arboris ad coelos usque  
 sublatae et in omnes mundi partes diffusae similitudine ex-  
 plicata est. Et viri etiam potentes atque sublimes cedris  
 Libani et quercubus Basaniticis assimilantur Pf. XXXVI, 35.  
 Eodem modo, qui tenui existimantur et infelici fortuna,  
 tenuibus etiam atque infelicibus plantis assimilantur. Ierem.  
 XVII, 6. *Erit quasi myrica in deserto*; et idem repetit post-  
 ea XLVIII, 6. Et Michae VII, 4. alii cum spinis et pa-  
 liuris conferuntur. שרש h. l. est *stirps* ipsa, quae radices  
 egit. Quam quidem potestatem, Martini inquit ad h. l.,  
 cum efflagitet hoc loco tum res ipsa, tum parallelismi ratio  
 et sequens particula *Mem*, ea hic utique est amplectenda.  
 Affinis usus est Syriacum נבט quod ut Arabicum نصاب  
 et Hebr. נצבה proprie *radicem, stemma*, significat, latiore  
 vero sensu deinde de ipsis plantis et stirpibus adhibetur.  
 לפני, eodem illo Martini monente, ad Iehovam est refe-  
 rendum. Quemadmodum enim omnia in republica Iudae-  
 orum, ita inprimis ea, quae ad eximium hunc Dei mini-  
 strum pertinent, geruntur לפני יהוה, praesente, h. e. mo-  
 derante atque gubernante Iehova. ונראה ולא מראה  
 ונראהו ad verb. *et vidimus eum, nec erat adspectus, nec*

*desideravimus eum.* Particula ך ante נחמדה reddenda est *nec*, nam post negationem, aut post dictionem negativam particula illa coniunctiva non affirmat, sed negat, quia repeti debet negatio, quae antecessit. Exempla sunt plurima eaque perspicua. Veluti Proverb. XXX, 13. *Non didici sapientiam et scientiam sanctorum novi, i. e. neque sapientiam.* Ps. CXLIII, 7. *non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in foveam, i. e. ne similis sim.* Cf. Noldii Concordant. Particularr. p. 424. b. מראה *ad-spectus*, hic non significat quemcunque vultum et faciem, sed in quo aliquid est dignitatis. Negatur igitur fuisse in propheta aliquid, quod trahat ad se et capiat curiosos et elegantes oculos.

3. חדל, quod proprie adhibetur de iis, quae fragilia, infirma sunt et caduca (vid. Ps. XXXIX, 5. Ies. XXXVIII, 11.) simpliciter pro homine vili, inglorio atque contempto positum accipitur. Est nimirum solemne Hebraeis, ut *debile* vocent, quicquid *humile* et *vile* est, sicuti e contrario *potens* dicunt id, quod dignitatem habet. Sunt enim hae notiones admodum vicinae, ita ut ab una ad alteram facilis et proclivis sit transitus. Itaque et apud Arabes ذئبي<sup>5</sup>

quod proprie debilem atque infirmum significat, saepissime pro homine deterioris fortis, vili et contempto usurpatur. *Martini.* „Vocabulum אישים, quod non minus ad כבדה quam ad חדל est referendum, eo pertinet, ut gradu superlativo contemptissimus abiectissimusque designetur, ut Prov. XV., 20. כסיל אדם *stultissimus*. Eadem superlativi periphrasi utuntur interdum etiam Arabes, apud quos v. c.

الخطي من الرجال *abiectus virorum* est homo abiectissimus.“ *Id.* „ירוע חלי, *plagis insigniter notatus*. Scilicet cum ירוע per se sit *notus, nobilis, insignis* (vid. Deut. I, 14. et cognatum ירוע Ies. LXI, 9.) hinc ירוע חלי esse videtur, qui tanta malorum acerbissimorum gravissimarumque calamitatum

mitatum mole obrutus est, ut insigne exemplum extet hominis afflictissimi.“ *Id.* כמסחר פנים ממנו, *et sicut abscondens faciem a nobis*, i. e. eo adpectu et habitu eum contemptati sumus, ut ipse verecundari debuerit faciemque pudibundus abscondere. Bene Iarchius: non secus ac homo, qui percussus est, obtegit faciem, et metuit, ne quis illum intueatur.

4. 5. 6. Quem nos ob sua crimina atrocissimis malis a Deo affectum existimavimus, illum eos dolores sustinuisse nunc intelligimus, qui nobis pro peccatis subeundi fuerunt. חלי hoc loco indicat *vulnera vel verbera*, sicuti I Regg. XXII, 35. Ierem. VI, 7. cf. Schultensii Origg. Hebr. c. IX. Tota formula כשא חליו כנא significat, *pertulit mala, quae nobis ob peccata infligenda erant.* כנא plagis percussus. מכה אלהים *divinitus percussus*, Ipsa vero dicendi formula interpretanda est ex opinione constante tum populorum antiquorum omnium, tum maxime Orientalium, qua graviores calamitates quascunque, sive illae morbis et corporis cruciatibus, sive aliis adversitatibus continerentur, immediate ad Deum, peccatorum vindicem, referre, easque tanquam poenas ab irato numine inflictas considerare solebant. *Marrini.*

5. מחול proprie *confossus*, coll. Arab. حَلَّ, hinc *vulneribus verberibusque laceratus*. Sensus verborum מוסר שרמנו עליו, *castigatio salutis nostrae super ipsum*, patet ex iis quae sequuntur, ובחברתו נרפא לנו, *plaga sua curatio nobis fit*, dum ille insons acerbissimos dolores sustinuit, nos fontes a peccatorum poenis liberi manebamus, quasi Iehova ipsi nostrorum peccatorum poenas luendas imposuerit.

6. In similitudine ab ovibus petita, quae pastore fido destitutae, per deserta vagantur atque oberrant, non inelegans perversae agendi rationis descriptio continetur; cf. Pl. CXIX, 7. Verba אח עון כלנו בר אה עון כלנו ad litteram so-

nant: *incurfare in eum iussit crimina nostrum omnium, h. e. poenas impietati nostrae debitas illum unice perferre iussit Iehova.* „Quicumque nimirum malis atque incommodis tolerandis aliorum miseriam avertit, eorumque salutem promovet, quacumque demum ratione id fiat, is poenas peccatorum eorum luere, tanquam piaculum pro iis apud Deum intercedere dicitur, ut hominibus priscis fere omnibus, ita imprimis Hebraeis. Eadem fere ratio est formulæ Arabibus frequentissimæ *فداكى نفسى* *redemptio tua sit anima mea* scil. apud Deum, h. e. acerba quævis, quin ipsius adeo mortis discrimen subire non recusarem, modo te iuvare, liberationem a periculis, salutem atque incolumitatem tibi præstare possem. Ad explorationem vero eiusmodi formularum si pervenire velis, redeundum omnino est ad opinionem, ut veterum populorum omnium, ita imprimis Hebraeorum, ex qua calamitates quascunque, præsertim atrociores, tanquam poenas peccatorum ab ipsis diis præsentibus inflictas considerare solebant, easque non alia ratione averti posse putabant, quam si victima innocens loco hominis eiusmodi poenas subeundo, numinis infesti iram sedasset.“ *Martini.*

7. Quæ iam sequuntur, summam ministri illius divini in his ipsis calamitatibus sustinendis ac perferendis patientiam atque constantiam describunt. *נגש* est *vexatus, male habitus, violenter, et crudeliter tractatus*, ut I Sam. XIII, 6. ubi voces *נגש העם* respondent præcedentibus *צר לר*. Accedit usus participii *נגש* de iis usurpati, qui vexis atque iniuriis subditos premunt et affligunt, vid. Esai. XIV, 2. 3. LX, 17. Zach. IX, 8. Arabibus quoque verbum *نجش* de vexatione atque exagitatione v. c. ferarum adhibetur. *Excruciatas ille atque afflictus ne mutavit quidem, h. e. atrocissimos cruciatus fortiter et patienter perpeffus est, cf. Pl. XXXIX, 10. Similitudo ab ove, mitissimo animali, traducta. Similiter Ieremias de se C. XI, 19.*

*וַאֲנִי בַּבֶּבֶשׁ אֶלְוָהּ יִבֵּל לְמַבּוֹחַ.*

8. Mors tandem cruciatus atque fata acerba vatis finivit. מעצר ומשפט לקח *ex angustia et iudicio ereptus* scil. morte, (vid. Genes. V, 24. Ps. XLIX, 16. LXXIII, 23.). , משפט si sensum spectes, non differt a praecedenti עצר, nisi quod notionem Dei, has plagas poenae instar infligentis, sibi adiunctam habeat. Quicquid nimirum homini a Deo immittitur, siue bonum id fuerit, siue malum, ex usu sermonis משפט dicitur. Vid. Ies. XLI, 27. “ Martini. וראת דורו מי ישוחה, *et quod adinet ad homines ei aequales, quis cogitat* (et quae sequuntur, cum his statim iungenda), mortem adeo ipsam virum illum non propter sua ipsius crimina, sed propter populi mei scelera subiisse. אה דורו pro nominativo emphaticè posito accipi posse satis evincunt exempla a N. G. Schroedero in Syntaxi Nominum Reg. XXI, allata. Veluti Ezech. XVII, 17. אה פרעה *ille ipse Pharaos*. XXXV, 10. שני הגוים *duae illae gentes*. גנור מארץ חיים *e terra viventium evulsus* dicitur cum respectu ad similitudinem virgulti, sub qua supra vs. 2. vates noster, illatus erat. In verbis למר ממשע עמי נגע למר ad populum est referendum, et subintelligendum pronomen אשר, quasi scriptum esset: *propter delicta populi mei qui lethali plaga erat percutiendus*.

9. Post mortem quoque popularibus suis eius memoria sordebat, adeo ut virum eximium et prae omnibus probum inter pessimorum hominum cadavera sepelirent. Id ipsum de prophetae Uriae quoque cadavere narratur Ierem. XXVI, 23. *Eduxerunt ex Aegypto Uriam adduxeruntque eum ad regem Iehoiakimum, qui gladio in eum animadvertit cadaverque eius in sepulchra plebis coniecit*, unde colligere licet, prophetas non solitos sepeliri in plebeculae πολυωνδεϊοις, sed in honoratioribus monumentis. יתון impersonaliter accipiendum constat. Particulam את communionem notat saepe obvium pro עם, v. c. Genes. XV, 18. XXXVII, 2. עשיר conferendum est cum Arabico *عشر* quod cum cognatis

tis de *improbo, scelesto, infimae sortis homine* dicitur, vid. Castelli Lexic. p. 2949. Sic apud Abulpharagium, Hist. Dynast. p. 144. de sacerdotibus Chrysoftomo infensis: *جعلوا يطلبون عليه عثرة* *quaerebant, quomodo in crimen eum vocarent.* במה, quod proprie locum excelsum denotat, hic de *tumulo sepulchrali* usurpari, docet parallelismus cum קבר על. l. i. est *quantumvis*, ut Iob. XVI, 17. *על לא המס בכפי* (*affligor*) *quantumvis manus habeam incontaminatas.* Iob. XXXIV, 6. *על משפטי אכזב* *non obstante iusta causa mea mendax habeor.* Adde X, 7. et Ierem. II, 34. Eandem particulae על potestatem usu Arabici علی firmari posse docuit Schultensius in Commentar. ad Iob. T. I. p. 268. et Martini p. 115.

10. Sed praemia amplissima Iehova decrevit illi, cui pro aliorum peccatis mala tam atrocia perferenda imponere voluit: ille qui morte praematura e vivis sublatuſ est, huius memoria in sempiternum vivet (יאריך ימים), et cultorum suorum agmen nominis sui memoriam magis propagabit quam soboles. Verba יהוה הפך דכאר החלי recte Martini interpretatus est: *Iehovae placuit contritionem eius atrocissimam reddere*, ita ut Infinitivus דכא pro substantivo, praeteritum החלי autem pro infinitivo cum ל accipiatur. Similis constructio est Ies. XLII, 21. יהוה הפך ינדיל חרה ויאדיר. ubi itidem tempora finita pro infinitivis cum Lamed להנדיל et ויאדיר dicta extant. Verbum חלה de lethali vulnere dici arguunt loca Mich. VI, 13. Nah. II, 18. החלי dictum est pro החלה ad modum Syrorum, qui in verbis tertiae radicalis *Olaf*, quae respondent verbis Hebraeorum tertiae radicalis He, e Vau et Iod ortae, in prima coniugatione aliquando, in reliquis vero coniugationibus semper, tertiam personam singularis in י terminant. Vid. C. B. *Michaelis* Lumina Syriaca §. XXIX, p. 33. וחפץ יהוה בירו יצלה, Iehovae mandata felicissime executus est.



11. Exantlatis laboribus et aerumnis pietatis suae amplissimos fructus percipiet: beabit ipse beatus minister meus multos, quae enim ab iis repetendae erant peccatorum poenas ille pertulit. Ad verbum vertendum erit: *propter labores ipsius videbit saturabitur* i. e. abunde, large videbit *sui cognitionem*, i. e. reperiet sat multos cultores. יצדיק עבדי לרבים *iustos reddit iustus minister meus multos*, quoniam pertulit eas poenas, quae aliis erant perferendae, ut statim adiungitur. לרבים paulo insolentius dictam est pro simplici accusativo רבים, more Syrorum, quibus ל nota accusativi; similiter 2 Sam. III, 30. הרגו לאבנר *interfecerunt Abnerum*. De formula הוא יסבל bene monuit Martini, peccata propter mala, quae sibi adiuncta habent, ab Orientalibus ut grave onus repraesentari, quo premantur, qui iis se inquinaverint, in cuius rei testimonium adducit locum Thren. V, 7., et ex Corano plura loca. „Hinc apud Arabes, inquit, verbum ونزر, quod proprie est: *grave onus sustinuit*; dicitur pro: *crimine gravatus fuit*; itemque ونزر *farcina* vocabulum solenne est de criminibus eorumque poenis, unde sententia frequens in Corano: لا تنزروا ونزرا ولا تنزروا ونزرا *non portabit anima portans (onus suum) pondus alienum*, h. e. non punietur unus pro peccato alterius. Simili ratione اصنام *onera* pro peccatis dicta deprehenduntur.“ Sententia igitur nostri loci haec est: gravissimis cruciatibus perferendis, poenas, aliorum impietati debitas, sustinuisse, et hoc ipso immunitatem a suppliciis iis impetrasse censendus est.

12. Simplex sententia, quae iam supra, sub huius threni initio, C. LII, vs. 14. 15. aderat; ille qui dum viveret et in ipsa adeo morte inter abiectissimos homines censebatur, idem olim ipsos reges inter suos cultores numerabit: ornate enuntiata est imaginibus, ab imperatore, qui terra sub ditionem suam redacta regnum occupat, praeda-  
que

que parta potitur, repetitis. אהלק לו ברבים, *assignabo ei tanquam sortem*, i. e. peculium, *potentes*; ea res, quam quis forte distribuit, cum verbo חלק coniungitur ope præfixi ב, ut Iob. XXXIX, 17. ubi de struthione: *Dens לא ראה עצומים וחלק לה בכניה non impertivit ei prudentiam. ואם עצומים validos distribuet prædam inter victoriae socios.* Victoris nimirum est, de præda parta disponere, eiusque optima parte sibi vindicata, reliquæ inter socios partitionem facere. Vid. Genes. XLIX, 27. Exod. XV, 9. Ps. LXVIII, 13. Iud. V, 30. Ubi neminem interrogaturum exspecto, quomodo vates potentes tanquam prædam distributurus dici potuerit: cum facile pateat, hoc imaginis de victore desumptæ adornandæ causâ esse additum. „Verborum הערה למרח נפשו nemo non videt, hanc esse vim: *profudit vitam* — animæ magnæ prodigus (Horat. Od. L. I. 12. vs. 37. 38.). Formulæ multæ affines extant apud poetas Arabum, quibus generosam vitæ, in aliorum salutem, factam profusionem exprimere solent, e quibus nostræ proxime accedit hæc: *أسال ففلسه*, h. e. *profudit animam*. Ita Poeta apud Lettium in notis ad Amralkesitum p. 213. *Secessit Cosroen versus post decadem annorum يهين النفس وأسال vitam vilipendens atque profundens*. Cf. alium poetam apud Reiskium in Annotatt. historr. ad Abulfed. T. I. p. 55. Ibn Doreidi Idyll. vs. 32. ed. Scheid. Adde e sacris formulam *הרה נפשו למרח tanquam rem vilis pretii abiicit vitam*, Iud. V, 18. *Martini*. Non improbabilis est Stæudlinii opinio, potuisse vatem saluti et capiti suo consulere, si diras minas regi et proceribus pronunciatas revocasset, eorumque vitia non tam acriter perstrinxisset. *ורפשיים יפניו, pro fontibus intercessit*, hæc enim est verbi פניע vis, ubi cum ל coniungitur. Intelligitur illud ipsum auxilium, quod miserias, easque gravissimas atque dirissimas, mortemque adeo ipsam subeundo vates popularibus suis præstitisse perhibetur.

LIV. 1. Redit ad eum sermonem, quem coeperat C. LII. Huius capituli argumentum optime exposuit Doederlein. „Novam progeniem post exilium promittit, latius diffundendam, et civitati Iudaicae, quae coniugi sterili comparatur (cf. supra XLIX, 21.), foecunditatem atque insigne augmentum auguratur, iubetque augendae mirum in modum familiae ampliores sedes, quam Palaestina sit, procurare. Hanc autem spem sterili et *αγαμω*, qua nihil apud Orientales turpius iudicabatur, laetissimam confirmatum a vi mariti, qui hanc ignominiam depelleret a populo, novis sibi nuptiis iungendo, i. e. restaurando antiquis sedibus et iuribus (vf. 5 — 8.), tum a fide divina (vf. 9. seqq.).“  
 רבים בני שוממה מבני בעולה *multi filii deserti prae filiis maritatae*, i. e. plenior fiet illis urbibus, quae semper habitate sunt et reges apud se habuere.

2. Cum desertae atque olim infocundae multi futuri sint filii, iubet, ut, quod parentes solent, cum augentur filiis, domus spatio laxet, quia exceptura est non hospites et advenas, sed filios quos apud se perpetuo retineat, (האריכי — חזקי) Paxillos bene defige, ad quos deligantur funes illi, qui tentorium sustinent. Vid. supra XXXIII, 20.

3. Etiam extra veteres fines imperium porriges in Idumaeam, Moabitidem, Syriam.

4. Ita ornaberis, ut superiorum calamitatum obliviscaris. *Tempus virginitatis* videtur esse tempus, quo in Aegypto degerunt, *viduitatis*, quod in Babylonia transegerunt.

5. Qui te fecit, idem ille erit tuus maritus, i. e. foecundam te faciet. Reliqua commatis pars sic est ordinanda: *Venerandus Israelis, Dominus omnis terrae, vocabitur redemptor tuus.*

8. Vocabulum ἀπαξ λεγομενον ἤρω illustravit Schultensius in Animadversis. Philologg. ad h. l. ex verbo Arabico *أحمر* *durum, vehementem esse.*

11. Continuatur allegoria a diluvio desumpta. Tam turbida erant tempora sub exilio, ut respublica penitus interiisse videretur, atque fluctibus submersa. Sed multo illustrius restituetur. Qualem lapidem significet פֶּרֶךְ, quod alias *slibium* indicat, nemo facile definiverit. Varias interpretum sententias collegit Michaelis in Supplem. P. VI. p. 1996. Maxime verisimilis mihi Vitringae coniectura, intelligentis *crustam rubram splendescentem.*

12. פֶּרֶשׁוֹת sunt pinnae in muris sive propugnacula ipsorum murorum aut portarum, qualia in muris et portis urbium ex antiqua munitione etiamnum conspiciuntur. Neque in voce פֶּרֶשׁ notio *solis* h. l. obtinet, sed *pectinis*, quam in lingua Arabica habet, cui illae murorum pinnae fortasse comparatae sint. Cf. *Faber Archaeologia Hebr.* p. 294. De lapide כֹּדֶךְ iam Hieronymus ignorantiam suam fassus est, nec recentiores quidquam praeter coniecturas de eo afferre potuerunt, quas vide in Michaelis Supplem. sub hac voce. Hinc in versione retinuimus *iaspidem*, quae Dathio placuit. אֲבָנֵי אֶקֶדָה videntur esse *lapides sculpturae*, i. e. sculpti, a *terendi, terebrandi, sculpendi* significatione, quam verbum אֶקֶדָה habet, vid. Michaelis Supplem. P. VI. p. 2163.

13. Huius loci periphrasin dedit Ieremias Cap. XXXI, 34.

14. Feliciter restaureris, nec hostium barbarorum insultum timendi causam habebis.

15. הֵן גֵּר יַגִּיד אֵפֶס מֵאֹחֲרַי Ad verb. *ecce iniuste agendo iniuriam faciet, nihil a me, i. e. si quis iniuste utatur in te, a me ad nihilum redigetur.* Verbum גֵּר, cuius

cuius prima significatio est *deflectere*, cum *לע* constructum proprie est, *deflectere a iusto contra aliquem*, i. e. iniuriam alicui facere, in aliquem tyrannidem exercere, vid. Michaelis Supplem. P. I. p. 285.

16. Duo metum afferre potuerunt et pavorem, bellici nimirum apparatus, et arma, quae formant et cudunt fabri; et bellatores, qui armis ab artifice elaboratis ad aliorum perniciem utuntur. Ait ergo Deus tam fabros armorum, quam qui arma tractant caedemque aliorum meditantur, a se esse creatos: quare a se omnes facile dissolvi posse, ne quod vas bellicum formare ac vibrare queant.

17. Cum propheta restauratae reipublicae a calumniis nihil timendum fore promittit, respexisse videtur illas calumnias, quae adversus Iudaeos a Samaritanis ad reges Persarum delatas fuisse Nehemiae traditione constat.

LV. I. Sequitur admonitio ad exules, ne bona sibi gratis oblata a benignitate divina negligant, vel vilipendant ac spernant. Condiciones autem obtinendi opportuno iam tempore (vs. 6.) beneficii sunt obsequium divinis legibus pia mente praestandum (vs. 3. 7.). Sed cum incredibilis Iudaeis videri poterat tantorum promissionum impletio: iubet eos cogitare, Dei consilia humanis profundiora esse, et imperscrutabilia, plana illi, quae nobis ardua: neque dubitari posse, quin sermo divinus, imbri vel pluviae similis, quae non sine effectu ad coelum redit, vim quoque habeat atque effectum, qui fini respondeat, id est, certissime impleatur. *Doederlein*. Per *sirientes* qui invitantur, ut gratis se refrigerent, intelliguntur exules apud Babylonios (eadem similitudine propositi supra XLI. 17.), quos propheta adhortatur, ut ad Iehovam se convertant, qui eos sine omni opera eorum felicissimam totius terrae gentem reddere cupiat. Si ab illo opem petere velint, nullum illis defuturum esse prosperitatis genus.

2. Cur magno studio atque impendio alibi auxilium quaeritis? Videtur eos respicere, qui in Babyloniorum regionibus manere maluerunt, quam in patriam terram redire; cf. not. supra ad XLVIII, 21. His optima quaevis pollicetur Iehova, si ipsum sint secuturi.

3. Recipiam in foedus semper duraturum, vobisque exhibebo beneficia tam constanter, quam Davidi exhibui.

4. Quem ego principem celebrem constitui, eiusque imperio gentes (Israeliticam et finitimas) subieci. Suffixum in נחזי referendum haud dubie ad דוד verſu antec. ער, *testis*, parallelismo membrorum flagitante *legislatorem, imperatorem* denotat: respondent enim huic voci in secundo membro נגיד ופצרה *victor et imperator*. Explicanda videtur haec notio nominis ער ex usu verbi העיר, *testificatus est*, scil. voluntatem suam aut alterius.

5. Tu, o Iudaea, gentes tibi antea incognitas adſociatas tibi compellabis. Connectenda autem oratio huius et praecedentis verſus ſic: ut olim Davidis imperium late fuit extenſum, ita et tuum dominium externae gentes agnoscent. Idque fieri dicit vates *propter Iehovam, quæ populum Israeliticum ornavit*, i. e. venient illae excitae fama beneficiorum magnorum, quae tibi Iehova praestitit.

6. Conditiones obtinendi iam opportuno tempore beneficii sunt obsequium divinis legibus pia mente praestandum.

8. Vos difficiles estis ad obliviscendas iniurias; ego promptus ad ignoscendum: cohaeret enim hoc ad id quod proxime praecessit: כי ירבה לסלוח.

9. Quanto sum sublimior, tanto clementior. Ne igitur miremini, si, vestrorum peccatorum oblitus, tantam felicitatem vobis promitto: cuius promissionis certum eventum verſibus duobus ſequentibus pulchra ſimilitudine exprimit.

10. 11. Affirmat certum constare oraculis divinis, quantumvis mirabilibus, implementum: nivi aut pluviae simile verbum Iehovae propheticum esse, quae, ut ad coelum non redeat, nisi iussa fecerit, rigaverit, foecundaverit, ac parere fecerit terram; sic et verbum propheticum imperata, id est, praedicta, perfecturum. Consuetum Hebraeis, verbum Dei, propheticum maxime, imברי coelesti comparare, vid. Deut. XXXII, 2. Ezech. XXI, 2. Mich. II, 9. Iob. XXIX, 22. 23.

12. Quandoquidem tanta est promissorum meorum constantia, nolite dubitare Iudaei, quin de exilio exituri sitis feliciter et cum gaudio. Montes et colles hymnos vestros resonabunt, et lenibus ventis agitatae arbores ramis suis, quasi brachiis, plaudent.

13. Ubi propter cultorum penuriam herbae nascebantur damnosae aut inutiles, ibi ferentur arbores ad usum et voluptatem egregiae. Quod non minus ad gaudii et laetitiae ex Babylonia redeuntium descriptionem pertinet, quam quae antecesserunt. והיה יכרה, ad verb. *et erit Iehovae in nomen*, i. e. laudem, *et in signum, monumentum, perpetuum quod non auferetur*, id est, his visis Iehovae nomen celebrabitur perpetuo.

LVI. 1. Monet Iudaeos, ut ipsi quoque officium faciant, et evitent ea, propter quae tam graves poenas in se accessiverunt. *Iustitia Iehovae*, propediem manifestanda haud dubie indicat iudicia et poenas, quibus Babyloniis erat afflicturus.

2. Felix ille, qui cavet sibi a violanda lege sabbathi, et aliis legibus, quae in exilio observari poterant. Est enim species pro genere.

3. Profelytus poterat cogitare, haec magnifica promissa ad solos eos, qui ex Israele ortum haberent, perti-

nere, ac se ab iis excludi. Huic opinioni occurrit propheta. Quum כְּרִים *eunuchus*, ex parallelismo membrorum respondeat כֶּן נֶכֶר *alienigenae*; ratio, cur *eunuchi* hic mentio fit, haud dubie est repetenda ex Deut. XXIII, 2. ubi omnes spadones ex coetu et catalogo Israelitarum excludi iubentur. Sensus membri posterioris est igitur hic: *nec spado dicat: sum lignum aridum*, i. e. *eunuchus*, quid ad me magnifica illa promissa, qui ex lege Mosaica civitatis Iudaicae non possum particeps fieri?

4. 5. Admittentur etiam alii, qui non ortu sunt Israelitæ (hi enim *eunuchorum* nomine hic sunt intelligendi, vid. not. ad vs. 3.) in aedem urbemque Hierosolymitanam, civitateque Iudaica a me donabuntur, si leges meas observare promittant. Quum vero vs. 3. כְּרִים בגי נֶכֶר et כְּרִים בגי נֶכֶר nominasset, in iis quæ sequuntur, sententiæ amplificandæ et exornandæ causa, ad singulos illos orationem convertit, ad *eunuchos* vs. 4. 5., ad *alienigenas* vs. 6. 7.

5. Dabo eis in aede mea et in muris meis יֵד וְשֵׁם *monumentum et titulum*, qui melior ipsis erit, quam essent filii et filiae. Ubi notandum, vocem יֵד interdum significare *cippum* seu *titulum*, vel eiusmodi aliquod monumentum, memoriae causa erectum. Liquet id manifeste ex 2 Sam. XVIII, 18. ubi Absalom, quod liberos non haberet, dicitur erexisse sibi dum viveret מַצֵּבָה *statuam*, vel potius molem aliquam, quæ sui esset monumentum; quæ moles dicitur isthic יֵד אֲבִשְׁלוֹם. Sic 1 Sam. XV, 12. Saul post interfectionem Amalecitarum dicitur venisse Carmelum, atque ibi יֵד לִי *מצב*, hoc est, *constituisse sibi monumentum*. Eadem significatione usurpatur שֵׁם 2 Sam. VIII, 13. ubi David caesis 12 Idumaeorum dicitur fecisse sibi שֵׁם, hoc est, *erexisse sibi monumentum*. Noster vero hic alluisse videtur ad illud Absolomi factum, qui molem et titulum sibi erexit ἄτεχναν suam consolandi gratia. Hanc vero imaginem non ita esse urgendam, ut certa et definita quaedam illius significatio



ficatio quaeratur, vix est, quod moneam. Quum poeta eunuchorum symbolo pro omnibus omnino alienigenis usus esset, quibus Iehova eadem iura promittit cum Israelitis, totum hoc comma ornatus poetici causa additum esse patet.

6. 7. Non minus illis reditum aut accessum ad urbem mihi sacram praestabo; nec minus illis licebit victimas in templo mactare, earumque carnibus hilariter epulari, quam oriundis e Iacobo. Omnes gentes aedem mihi sacram habebunt quasi templum, in quo licebit sibi Deum orare, et favorem eius sibi precibus implorare.

8. Haec Iehova promittit, qui ad Israelitas ex peregrinis terris undecunque collectos alienigenos praeterea ex variis populis congregabit.

9. In his verbis haud dubie proverbiale quid est, quo significetur, omnes homines invitari ad templum, ut in eo, si ita videretur, sacra facerent, atque e salutaribus sacris epularentur.

10. Post consolationes liberaliter piis expositas, ne animum abiicerent, redorditur vates obiurgationem impiorum, quorum peccata et scelera terrae et genti Iudaicae tantas clades et calamitates adduxerunt. Et primo quidem sacerdotum et prophetarum scelestos mores perstringit, qui, cum in populi vitia animadvertere deberent, se ipsos gulae et libidini dederunt. Cf. Thren. II, 14. *Speculatores* intellige tum sacerdotes, tum eos, qui se prophetas venditabant, qui morum populi *inspectores* esse debuerunt, vid. Ezech. III, 17. XXXIII. 2. 6. 7. עררים, adposite, nam ut, si speculatores proprie dicti sint caeci, aut etiam *μυopes*, procul non vident, nec quidquam in tempore praenunciare possunt; sic Pseudoprophetae imperiti vitia populi castigare non possunt, quia quid vitium sit, satis non norunt. *Canes muri, non valentes latrare*, peccata aliorum dissimulant.

Sicut canum officium est, allatrare fures, ita sacerdotum et prophetarum, reprehendere vitia. הוֹזִים sunt *somnolenti*, ut *Bochartus* ostendit, Hieroz. P. I. L. II. p. 680. coll. Arab. Ⲙ & *deliravit, in somno locutus est*. Nam sicut veri prophetae ideo dicebantur הוֹזִים *videntes*, quia visiones a vero Deo oblatas viderunt; ita hic falsi vocantur הוֹזִים *delirantes* et *somniantes*, quia vanis rerum imaginibus et ipsi deluduntur, et credentes in se deludunt; cum respectu tamen ad similitudinem de canibus desumptam, in quibus vitium maximum habetur somnolentia.

11. Perstat in similitudine incepta, illisque speculatoribus attribuit, quod in cane maxime fastidimus inverecundiam et impudentiam atque intemperantiam (*sunt insatiabiles*). Sed subiungit statim poeta suo more imaginis præcedentis explicationem, dum eandem rem verbis propriis repetit. *המה רעים לא ידעו הכין* et *illi pastores*, cum sint pastores (non tantum canes, et custodes gregum, sed et curatores), nesciunt prudenter se gerere. *פנו לררכם פנו* *viam suam respiciunt*, sic suam instituunt vitam, ac si nulla tenerentur lege, sed cuilibet pro lege esse voluntatem sive libidinem suam. מקצהו, propr. *ab ex-remitate sua*, i. e. nullo excepto, ut Genes. XIX, 4. Quænam autem illae sint viae, statim declarat. Nempe primum *pecuniarum studium*. Quam vero pecuniis immoderate studuerint eo tempore Iudaeorum rectores et magistri, hinc fit perspicuum, quia nullus ferme fuit propheta, a quo in illis ista pecuniarum cupiditas non reprehendatur, v. c. Ierein. VI, 13. *A minore usque ad maiorem omnes avaritiae student; et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum*. Mich. III. *Principes eius muneribus corrupti iudicabant; et sacerdotes mercede docebant; et prophetæ eius pecunia divinabant*. Cf. Ezech. XXII, 27. Altera via est gulæ intemperantia, cui comes est libido; quare commode statim subiicitur:

12. *Age sumamus vinum, et impleamur ebrietate.* Mimetis est, quae loquentes inducit illos luxuriae et voluptariis sensibus nimium deditos. Se ipsos vicissim hortantur, ut vino se et ebrietati totos et omnino tradant. Porro verba: *et erit, ut hodie, cras etiam maior potus copia*, obstinati sunt animi, quique sibi omnino persuasit adeo in inebriando modum ponendum non esse, ut acriori potius studio illi vitio serviendum sit. Ad hesternam intemperantiam et luxum aliquid dicunt addendum esse in crastinum, id est, in singulos dies maiora fore vini potandi incrementa. Ad rem cf. supra C. XXVIII, 7.

LVII. 1. Sub *iusto* hic intelligunt multi Iosiam regem, de cuius morte 2 Regg. XXII, 20. *colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulchra tua in pace; nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego induco super locum hunc.* Nec dubium est, quin haec in eum quadrent, sed fuerunt et alii, quibus convenire etiam potuerunt; ut omnes boni et religiosi viri, qui mortui sunt Hierosolymis, sub initia Nebucadnezaris, quae tempora hic videntur respici. ואין לב איש שם על לב, nec quisquam animadvertit eo tempore, non sine divina providentia multos viros pios mori ante senectutem, ne viderent calamitates, quae passura sit Hierosolyma a Babyloniis. מפני הרעה e facie mali, i. e. propter malum, propter imminentem calamitatem. Praedixerat hoc Chulda prophetissa Iosiae 2 Paral. XXXV, 28., quod et pluribus aliis viris bonis contigit, quibus mortem obire eo tempore beneficii loco erat.

2. יבוא שלום *ingreditur pacem*, i. e. quietem, sepulchrum quietum, ubi securi quiescunt, ab omnibus calamitatibus liberi. הלך נכון *ambulans e regione sui*, i. e. recta, unde factum, ut vox נכה etiam rectitudinem, ut sic loquar, moralem, significet, vid. C. XXVI, 10. XXX, 10. LIX, 14.

3. Nunc ad populi reprehensionem se convertit, qui idola coluit, et variis superstitionibus se contaminavit. בְּנֵי עֲנָנָה *filiis praestigiatrixis*, intelligitur Hierosolymorum urbs, aut tota terra Iudaeae, quae idololatria saepe infecta divinationibus ethnicis etiam dedita fuerat. Hac eadem ex causa iidem illi vocantur proles *parentum adulterorum*. Idolorum enim cultum saepe *fornicationis* nomine indicari satis est notum, vid. 2 Regg. XVII, 17. 18. *fecerunt sibi statuas, et fornicati sunt in eis*; et Ierem. III, 1. *moechata est in lapide et ligno*.

4. Contra quem directae sunt vestrae calumniae et subfannationes? quem illuditis? Posterius membrum continet responsionem. Contra me, patrem vestrum, sunt directae, me illuditis. פֶּה רָחֹב *oris dilatatio* ridendi causa, vid. Pf. XXII, 13. XXXV, 21. Irrisionem quoque videtur indicare formula: *linguam protrahitis*. *Eiicere linguam* inter tria sannarum genera, quae habet *Persius* Sat. I, 60. Sub פֶּשַׁע יְרֵדֵי *filiis defectionis* intelliguntur homines, qui defecerunt a cultu veri Dei. Similiter *prole mendacii*, זֶרַע שִׁקְרָה, significatur proles, quae cum ab ea expectari poterit gratus animus et obsequium erga Iehovae leges, contraria omnia reddiderat.

5. Vos in idolorum cultum, seu potius idolomaniam, iuflammatum quoddam, atque impotens desiderium abripuit; adeo ut nullus lucus, nulla arboris frondosae opacitas sit, quam sacrificiorum ergo vestra non obeat et frequentet impietas. In tota vero hac reprehensione usque ad vs. 9. metaphorae desumptae sunt a meretricibus, quas urit libido. Sub eadem figura Ieremias infert II, 20. Iudaeorum impotens studium in idolorum cultum: *in omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*. Hinc voce חַמָּם usus est poeta, quae usurpatur de feminis, cupiditate maris incalescentibus, vid. Genes. XXX, 38. 39. 41. Videtur tamen simul alludi ad impudicum

dicum quorundam deorum Syriacorum cultum. De lucis nefario idolorum cultui consecratis saepe loquuntur prophetae, vid. 2 Regg. XVII, 10. Hof. IV, 13. Ezech. VI, 13. Quod dicit: *immolantes natos ad torrentes*, respicit haud dubie immane illud sacrificium, quod praecipue peragebatur in torrente Cedron, ubi erat Moloch, in cuius honorem per ignem traiciebantur pueri, ut fecit Ahasus 2 Regg. XVI. et Manasse, ibid. Cap. XXI. cf. XXII, 10. Per סעפי הסלעים *scopulos petrarum* haud dubie intelligitur vallis Topheth, in qua torrens Cedron, qui per vallem profundissimam subter eminentes petras labitur, habetque utrinque praealta atque praerupta saxa; de qua valle IOSEPHVS *Antiqq.* L. XV. Cap. XIV. prodit in eam altitudinem esse depressam, ut e summo spectantium oculi vertigine laborarent. Quare qui in valle Topheth filios suos sacrificavere Molochi, iidem sacrificium illud peregere subter *scopulos petrarum*.

6. Illi quibus Iehova sors fuerat, et haereditas, ut saepe in scriptis sacris Hebraeorum repetitur, vaesano prorsus et stolido concilio abiecto Iehova aliam sibi haereditatem elegerunt, nempe in vallibus (quae hic pro quocunque alio loco ponuntur impiae religioni destinato), in quibus gentilitio ritu diis sacrificarent. העל אלה אנחם numquid super his non indignabor? hancine ego perfidiam impunitam esse patiar?

7. Quam familiare fuerit Israelitis cum a Iehovae cultu defecerunt, ad montium fastigia conscendere, ibique aliena sacra et caeremonias obire, satis patet ex libris Regum, ubi saepe *excelsa non esse sublata* crimini datur quibusdam regibus Iudae, qui alioqui pii et religiosi fuisse dicuntur. Hic vero propheta propriam cum figurata locutione coniungit. Loquitur quidem proprie, cum ascendisse ait populum in excelsa loca, et illic immolasse victimas, quia re vera id fecit, quod littera illa simpliciter sonat: figurate tamen, quia hanc perfidiam et idolomaniam *adulterio* comparat, unde

gens illa *cubile suum* posuisse arguitur in excelsis, quasi cum idolis metreticata.

8. Obiicit nunc populo impio, quod usque adeo Gentilium Deos studiose coluerit, ut omni loco eorum phylacteria habuerit proposita; ut quamcunque in partem se converterent, in oculos incurrerent. Post ostium autem, et retro postem positum esse dicitur memoriale, id est, ad interiorem atque exteriorem portarum faciem, ut sive domo egressuri sint, sive ingressuri domum, Deos intuerentur, eorumque fidei atque tutelae se suaque omnia commenderent. Hieronymus hic intelligi putat lares, seu tutelares Deos, qui a gentibus multis locis, et apertis et abditis disponebantur. Usitatum autem esse in omni ferme natione, ut in ipso limine signa quaedam locarentur religionis. Quod apud Hebraeos etiam in usu fuisse, patet ex Deut. VI, 9. ubi in ostiis aedium inscribenda iubentur divina praecepta. Eodem illo igitur loco deorum alienorum vel phylacteria vel imagines nunc constituta dicuntur. In reliqua vero commatis parte amplificat propheta idolomaniam adulterae seu meretricis allegoria, quae usque adeo inverecunda et profusae libidinis erat, ut prostituta amatoribus omnibus omnique loco pudicitia, neque fidem coe-leret conjugalem. Est autem profligati omnino pudoris, et despicientiae viri maximae, praesente atque dolente coniuge in eodem lecto commiseri. Hanc iniuriam intulit infidelis atque inverecundus populus Iehovae, dum in eius templo aras exstruxit gentium simulacris (כי מאתי גלית, *nam seorsim a me te reregisti*). Quod fecit Manasse, de quo 2 Regg. XXI, 4. *Exstruxitque aras in aede Iehovae, de qua dixit Dominus: Hierosolymis ponam templum meum: et exstruxit altaria universae militiae coeli in duobus atriis templi Iehovae.* Sed clarius in templo divinum idolis impensum fuisse honorem, et illa in templo depicta non longe ante extremam urbis templique vastitatem docet Ezechiel Cap.

VIII. Ubi depictae in templi pariete per circuitum memorantur similitudines reptilium et animalium, et idola, quae coluerunt Israelitae. Ubi etiam fuisse dicuntur foeminae, quae idolo Thammuz honores et lachrymas impendebant. Quod si haec allegorice dicuntur potius quam historice, quod fortasse verum est, certe alia sunt multa hoc eodem capite, quae aperte declarant externis fordibus Iehovae templum fuisse violatum. Sane sine ulla, ut apparet, allegoria dixit idem Ezechiel Cap. V. vl. 11. *Pro eo quod sanctum meum violasti omnibus execrandis et abominandis factis tuis.* Clarius Ieremias XXXII, 34. *Posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum.* הרחבה משכבך, *dilarasti cubile tuum*, hoc est eadem servata translatione a muliere prostituta desumpta, loca edita ampliora tibi fecisti, ut plures idololatrias capere possint. הכרה לך מהם אהבה, *ad litteram: scidisti tibi ex iis scil. ברית foedus*, hoc est, foedus pepigisti cum multis ex idololatriis. Notum est, Hebraeos dicere כררה ברית *scindere foedus*, pro eo, quod est Latine, *ferire foedus*. Rationem eius loquendi generis vid. ad Genes. XV, 10. *Foedus* autem hoc loco intelligendum est coniugale. Quemadmodum populus Israeliticus foedus cum Iehova iniit ad montem Sinai, de quo Ezechiel VI, 8. *ingressus sum pactum tecum, ait Iehova, et facta es mihi, nempe sponsa: sic nunc populus idem ingressus est pactum cum idolis, et cum illis communem voluit habere thalamum, perinde, ac si legitima nuptiarum necessitudo intercederet.* Verba יד חזקה *manum*, i. e. *nutum manus vidisti*, respexisti, ad eandem meretricis imaginem pertinent, atque ardens illius desiderium et studium acerrimum, quo alterius consortium et societatem expetit, significant.

9. Sub *rege* nonnulli intelligunt Assyrium, aut Aegyptium, a quibus cum auxiliariis copiis nova etiam Deorum monstra in terram Iudaicam ingressa sunt. Ornamenta vero, seu pigmenta, quibus ad capiendos regios animos usi fuerint

fuerint Israelitæ, intelligunt de muneribus et opima mercede, quibus externum auxilium advocare studuerunt. Sed cum tempore Manassis, quod hic haud dubie spectatur a poeta, de tali foedere cum regibus externis nihil memoris proditum inveniamus in Hebraeorum annalibus; ego cum aliis interpretibus per *regem* idolum *Moloch* significari existimo, nam מלך (Levit. XVIII, 21. XX, 2.) significat *regem*. Usus est autem metaphora rei uxoriae aut meretricis accommodata. Ut enim, quae amasium aut sponsum impotenter amant, ornant sese, et pulchritudinem undecunque accersunt, quo illorum oculos atque animos capiant; sic populus ille nihil non tentasse videbatur, quo sibi gratiam iniret a Moloch et illi meretricis instar adhaereret. Eadem allegoria de adultera servatur in his verbis: *misisti legatos tuos procul*, quorum sensus videtur esse, quem indicat Ezechiel Cap. XVI, vs. 15. dum ait, *tu autem dedisti mercedos cunctis amatoribus tuis, et dona dabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum*. Significat ergo propheta, misisse Iudaeam legatos, et quasi pronubos, aut turpium amorum conciliatores, ut procul amasios, id est, idola a gentibus accerferet, quibuscum ipsa concubitus iniret impuros atque nefarios. Idem paene sub eadem allegoria dixit Ezech. Cap. XXIII., inde a vs. 16. Verbis, *humiliasti te, sive, humiliata es, usque ad inferos*, significatur, quam foede graviterque ceciderit Hierosolyma, cum de luce et illustri castitatis loco in tenebras lupanaris, imo in barathrum fornicariae spurcitiae demersa est.

10. Ad verb. *In multitudine viae tuae laborasti, non dixisti, desperatum est*, quod bene exponit Kimchius: „ut homo fessus in itinere, qui dicit, desperatum est cor meum ab eundo in viis hisce, sedebo et requiescam.“ Patet vero, continenti allegoria idem argumentum de idololatria Iudaeorum pertexi. Quasi dicat propheta, etiamsi diu multumque laboraverit in convehendis colendisque gentium si-  
mula-



mulachris, non tamèn ideo a nefario illo atque intolerando cultu descivisse Iudæos, sed adhuc insanire, ferrique idolomania in aliam atque aliam intemperantiam. *Viam* enim in Hebraico idiomate saepe indicare institutum, propositum, consilium, aut vivendi modum, et illud denique, ad quod aspirat aliquis, aut in quo se exercet, satis notum est. *ויתן לך* *vitam manus tuae*, i. e. delicias tuas, amatores, invenisti. *ויתן לך* hic vel redundat, ut saepe, vel synecdoche partitis pro tota putanda est, vel etiam ad meretricem amatorem manu prehendentem referri potest.

11. In eadem adhuc versatur nuptiarum metaphora, et addit id, quod extremum esse solet in eo, qui penitus religionem abiecit, et in profundo demersus est malorum. Nempe ut cum multa timenda sint, nil tamen timeat; sed in mediis periculis securo sit animo. Ait ergo, adulteram illam sponsam, qui vitam sibi invenisse arbitrabatur, timuisse nihil, cum tamen illa admisset scelera, pro quibus dium e coelo supplicium horrere debuisset. Causamque stolidae securitatis reddit, quia Deus, quasi nihil videret, tacebat, differebatque in tempus aliud supplicii pondus. Nunc singula expendamus: *אח-מי דאנה חיראוי*, quem sollicita tenuisti? id est, quidnam eorum, quo divinum in te furorem inflammas, tibi terrori fuit? *כי הכובי*, quia mentita es, propterea quod fefellisti fidem, quam constantem, et integram servare debueras, et gentium idolis nefariis te conubiis implicuisti? *לא חיראוי אני*, nonne ego inde a seculo racui, et me non tenuisti? Cum patienter sustinerem expectaremque si quando ad me superiorem statum exosa revertereris, et ideo, quasi haec clam me fierent, tacerem, ex meo silentio atque patientia nihil existimabas tibi esse metuendum.

12. Caecum me putabas, et mutum, quis, dum tu nomen meum impudenter offenderes, ego interim tacebam instar muti; aliquando tamen silentium rumpam, annunciaro-

ciaboque, quam longe recesseris a pictate. Neque clamante me auxilio tibi erunt deorum simulacra, quae tuis tibi manibus fabricata es.

13. Longe erunt, ut in angustiis tuis opem tibi ac libertatem afferant implorati dii, quos undecunque gentium asportari fecisti (קברציר). Qui usque adeo leves sunt, ut a vento atque aura non secus atque aridae stipulae iactentur. Statim vero confert eos, qui sperant in Iehova, cum his, qui in idolorum nugis spem locaverunt suam; ostenditque, priores possessuros terram, quam ex omnibus populo suo Iehova elegit, et in monte sancto sedem sibi stabilem habituros.

14. Eleganti mimesi ostendit Deus, quam expedite atque amanter reducturus sit populum ex Babylonica servitute. Idem faciet, quod regii satellites in magni principis ingressu solent, cf. supra XL, 3. et not.

15. Neque haec promissa exitu carebunt, et fide; sunt enim non ab homine fallaci, et ludicris idolorum praestigiis, sed a Iehova, qui quamquam in excelsis habitat, humilibus tamen favet (id enim est apud Hebraeos *cum aliquo esse*, vid. Ps. LI, 19.), et consolatur poenitentia ductos (*ut vivificet humilem spiritu et corde contritum*).

16. Non erit mihi cum illis perpetua disceptatio; imo ego, qui, a quo omnes, ut spirent et vivant, habent, mortuorum quoque et deficientium corporibus (quibuscum saepe conferuntur exules, cf. Ezech, XXXVII, 4.) spiritum vitalem iterum indam. Verba Hebraica: רוח מלפני יעטרך proprie sonant, *spiritus a me revertetur*, coll. Syriaco ܪܘܚܐ, *redit*, nec non Arabicum رطب in Coniug. VII. Ludovico de Dieu monente ad h. l.

17. Ob turpissimam avaritiam poenis eos adfligebam, omniaque favoris signa illis subtrahebam. Vox בצע tamen

hic non *avaritiam* solam videtur indicare, sed extendit se ad omnem vim et cupiditatem. (ואקצה — לבר) Indignatus sum, dum populus refractarius vagatur, sequens cordis sui cupiditates. שׁוֹבֵב est *refractarius*, vid. Ierem. III, 14. XXXI, 22.

18. Vidi populum post sua desideria perniciosis atque avilis errantem vestigiis; misertus tamen, opportunam adhibui illius vulneri medicinam reduxique in antiqua septa, sicque languentes et aegros consociatus sum.

19. Dabo illis materiam, cur me laudent, mihique gratias agant maximas. נֹרַב שְׁפָתַי, *proventus labiorum*, vix quidquam aliud esse potest praeter verba, quae ubi sermo est de re, cuius causa gratiae aguntur, sunt gratiarum actiones. קָרֹבֶת et רָחֹק *omnes* indicat.

20. Haec mea benignitas ad eos tamen solum spectat, quos iniuriae in me commissae poenitet. De impiis vero alia ratio est. Tam enim erunt longe, ut quieti vivant, ut potius instar maris, quod perpetuis fervet et agitur motibus, vitam agant, perpetuo quodam malorum aestu turbatam. Verba novissima: *eiicient aquae eius coenum et luzzum* mere ad figuram amplificandam apposita sunt, nec in similitudine urgenda: mare fervens et turbidum in littore coenum relinquit, et putrida quaedam eiectiona, quae ad spectum ingrata et odore gravia sunt. Haud absimili imagine *Ovidius* de se *Trist. I. El. X, 33.*

Cumque sit hibernis agitatum fluctibus aequor  
Pectora sunt ipso turbidiora mari.

LVIII. 1. Verisimile est, post urbis excidium Iudaeos plura eo tempore obiisse ieiunia, quam numquam antea. Cum vero Iudaeis ieiunantibus nihilo tamen minus protraheretur Babylonica servitus, sua illa ieiunia et ceteras corporis animique molestias opponunt Iehovae, tanquam parum fidei et grato et suorum promissorum immemori. Quibus

bus Deus hic respondet, frustra esse illa ieiunia suscepta, nisi simul animum et mores mutant. Commate primo igitur iubetur propheta voce acuta populo denunciare atque exprobrare peccato. קרא בגרון, *clamare gutture*, haud dubie hic sonat, eniti quantum quis potest, spiritu, voceque contendere, sicuti advocare solemus illos, qui longe sunt. Quasi, vocare non extremis labiis, sed aperto ore et magna voce.

2. Haec omnes paene interpretes de studio Iudaeorum accipiunt, quo Iehovae Dei sui voluntatem atque consilia assidue, et ut ipsi putant, sancte et religiose investigabant; cum tamen illorum mores longe ab omni sanctitate et religione recederent. Quae expositio per se non difficilis est, et illustrium interpretum auctoritate firmatur. Sed occurrit alia, ut reor, non difficilis, neque extorta a filo textuque capitis. Saepe his, qui sancte ac iuste vitam instituisent, divinisque obsequerentur mandatis, omnia secunda atque tranquilla vates, sive Iehova, erat pollicitus (vid. e. c. Cap. I. 16. seqq.). Cui promissioni si quando deesset obligata fides, argui se infidelitatis Deus ipse voluit. Sanctos se putabant isti Iudaei, et mendaci opinione sibi illa omnia inesse arbitrabantur, quae a Iehova tunc imperata fuerant; licet ieiunii animarumque afflictionis tantum meminerint. Quare cum premi se viderent variis incommodis et ab hoste potentiori extrema ferme pati, vocabant in iudicium Deum, sicut ipse permiserat eiusque fidem inconstantiae atque levitatis arguebant. Quam ut Iehova ab omni suspitione liberaret, annunciari iubet a propheta Iudaeorum scelera, ut inde cognoscant, immerito divinam promissionem infidelitatis accusari, cum ipsi longe fuerint ab illis meritis, quibus superior illa felicitas promissa fuit. Quae merita hoc capite sigillatim enumerat, et omnino ab ipsis violata esse, prophetico clamore docet, et denunciat. Ad posteriorem hanc interpretationem singula iam accommodo. דאורי יום

יום ירשקן, *me enim de die in diem quaerunt*, quaerunt quotidie, quid ego promiserim, ut inde me ad examen et iudicium vocent. Nam verbum דרש id valet, quod apud Latinos *quaero*, nempe investigare aut interrogare. Hic ego in posteriori significatione sumo, quod idem omnino aut persuadet aut monet interrogatio illa, de qua statim versu 3., *quare ieiunavimus et non adspexisti?* Quae interrogatio cum quadam offensione, aut incusatione videtur esse facta, tanquam profecta ab illorum animis, qui cum multa sibi deberi putent, nihil tamen acceperint a debitore. Quam interrogationem, seu querelam qui se iustos esse credunt *de die in diem*, id est, singulis diebus ingeminant. דעה דרכי יחפצון, *scire vias meas volunt; viae Dei* consilia Dei sunt, aut agendi formae, quas scire et examinare cupiebant illi, qui facta tua, in quibus sibi valde placebant, a Deo respici, aut certe non esse munerata querebantur, quasi in illis aliquid esset, quod improbarent. Verbis כגוי לא עזב, *quasi gens, quae iustitiam fecerit, et iudicium Dei sibi non dereliquerit*, retorquet Deus crimen in Iudaeos, quod in Deo haerere ipsi mentiebantur. Nam iniustum et infidelem Deum existimabant et criminabantur. Deus vero illos esse potius iniustos et infideles redarguit. Similiter Ezechiel XVIII, 24. *Et dixistis, non est aequa via domini. Audite ergo domus Israel, numquid via mea non est aequa, et non potius viae vestrae pravae sunt.* קרבח אלרים יחפצון, *appropinquare Deum volunt*, subintell. ad iudicium, in quem sensum קרב quoque occurrit supra XLI, 1. Malach. III, 5. Absesse a me putant iudicia aequa, et ea de re iudicio mecum disceptare volunt.

3. Quare, inquiunt, ieiunio corpus exhaustimus, neque tamen nos tuo dignatus es adpectu? Et cum ad ieiunia alias etiam corporum molestias adderemus, illa tamen neque probare visus es, imo neque nosse, cum nullum abs te illorum fructum habeamus? Haec illi. Sed putant stolidi,

me externa capi, atque fucata religionis specie. Ad quos ego: ieiunatis quidem, sed ipsis ieiunii diebus pergitis ea facere, quae vobis lubet (ביום צמכם המצאון הפץ, *in die ieiunii invenitis voluptatem*), atque laborum vestrorum mercedem a debitoribus iusto severius exigere.

4. Tempus ieiuniorum eligitis ad contentiones et rixas. Sed nolite ieiunare, sicut hætenus fecistis, si vultis, ut clamor vester, qui ieiunia ex more comitatur, quod orat exoret, et obtineat a Deo.

5. Numquid illud a vobis ieiunium exigo, quod nihil habet solidæ atque internæ, sed tantum fucatæ sanctitatis speciem?

6. הרצבות רשע, *vincula impietatis solvere*, i. e. iniuncte vinctos liberos dimittere, הרצב collato cum Arab. حظب, *valide constrinxit torfitque funem*. אנדוה מוטה, *constrictiones, vincula* (sic enim accipiendam esse h. l. illam vocem, docet parallelismus et res ipsa, a *constringendi, colligendi* significatione, quam verbum אנדוה habet) iugi idem significant, quod antea *vincula impietatis*.

7. מבשרך לא החעלים, *a carne tua*, i. e. a consanguineo tuo ex Abrahamo, Isaaco, Iacobo, *ne te abscondas*.

8. Tunc vero orietur tibi, qui hætenus morabar in exilii tenebris, nova lux; prosperitas tua succedet adversis, ut aurora tenebris nocturnis. *Sanitas tua citius orietur*, cito liberaberis a captivitate. Nam ut omne malum *morbus*, ita omnis a malis liberatio Hebraeis *medicatio* dicitur. *Et anteibit faciem tuam iustitia tua*, i. e. fructus iustificationis tuæ, quod a Deo pro iusto declaratus es. *Et gloria Dei*, id est Dei bonitas, quæ Deo maxime gloriosa est, te subsequetur, id enim sæpe significat verbum Hebraicum אסף, ut apparet ex Num. X, 25. *Praeibit et agmen claudet*, id est, te semper comitabuntur, tu iis semper frueris.

9. Si ita egeris, invocantem te Iehova exaudiet, clamanti dicet, praesto sum, i. e. faciet, quod orabis. Ante voces שלח אצבע, *immittere digitum*, est reperendum אם הסיר, *si removebis*, i. e. si desieris. Sensus est, *si desieris infami digito*, ut Persius loquitur, denotare viros probos. Quae sint דבר און, *verba vanitatis*, sive illa quae prodesse non possunt, contextus docet, ea nimirum, quae affinia sunt illis vitiis, quae modo Iehova abesse longe vult a suo populo, quae de inanibus voluptatibus oriuntur, de pecuniarum acquisitione, de oppressione pauperum.

10. והפק לרעב נפשך, *cum effuderis esurienti animam tuam*, נפש, *anima*, saepe benevolentiam significat, et hic κατά μετανοίαν, effectum benevolentiae; vid. Rom. XII, 8. 2 Corinth. IX, 7.

11. כמרוצא—מימיו, *ut scatebra aquarum, cuius aquae non fallunt*, numquam deficient, nam fons mentiri dicitur, qui aquam, quae ab eo sperabatur, non suppeditat. Sensus: eris omnibus bonis affluens.

12. בנו ממך, *aedificabunt*, scil. aedificantes, i. e. aedificabuntur *ex te*, i. e. ab hominibus ex tua gente. הרברה עולם, *solitudines antiquae*, h. e. in locis iam dudum, nempe, ante vastationem per Nebucadnezareem factam, desolatis, domos aedificabunt. מוסרי דור-דורה הקימים, *fundamenta aetatis et aetatis suscitabis*, id est, quae per multas hominum aetates durabunt. גדר פרוץ, *obstruens hiarus*, scil. moenium. משובב נתיבות לשבח, *restituens vias ad habitandum*, hoc est, homines, qui faciunt, ut viae iterum frequentes sint viatoribus. *Habitari* enim dicuntur *viae*, per quas frequentes incolae commeant.

13. אם חשיב משבח רגלך, *si redire feceris pedem tuum a Sabbarho*, nempe ne polluas ullo servili opere. לעשרה, *ad faciendum*, ita ut facias quod tibi libet. ממצוא הפצך, *ab invenienda voluntate tua*, כ, hic negat, ut

saepe vidimus. Sententia huius loquendi generis *invenire* voluntatem suam, est, id consequi, quod cupis, nulla habita ratione sanctimoniae Sabbathi, ita ut cuivis operi manus admoveatur. Ante verba דבר דבר repetenda est negatio, ita ut vetentur Israelitae res vanas, inutiles malasque loqui, nam דבר דבר Hebraeis est *garrive*, φλυαρειν, fere ut Hof. X, 4. Similiter Latini: *verba isthaec sunt*; verba sunt atque ineptiae.

14. חחענב על יהוה, *delectaberis super Iehova*, Deo dante habebis, quo te oblectes, hoc est, secundis rebus fruëris. והרכבתיך על במוחי ארץ, *faciam, ut veharis super locis editis terrae*, i. e. restituam te Iudaicae terrae, vid. Deuter. XXXII, 13., est enim Iudaea reliquis terris montosior. והאכלתיך נהלח יעקב אביך, *et faciam ut comedas possessionem Iacobi*, i. e. ut vivas de fructibus terrae avitae.

LIX. 1. Post adhortationem ad vitae morumque emendationem, et promissiones, quas iis fecit qui suis monitis obsequium praestarent, redit ad malos reprehendendos. Respondet iterum Deus Iudaeorum tacitis sive cogitationibus, sive querelis, qui in Deo aut fidem desiderare videbantur in promissis, aut ad fidem servandam fortitudinem. Quos docet Iehova, quo minus eorum votis et precibus hactenus annuerit, non ex eo natum, quod ipsi defuerit ad liberandos illos facultas, aut quod aures surdae fuerint ad audiendas preces et vota Iudaeorum, sed obstare eorum peccata, quae enumerat, et translationibus mire significantibus explicat.

2. *Peccata vestra fecerunt, ut absconderet faciem, quo minus vos audiret.* Desumptum hoc a more regum et principum virorum, qui in conspectum suum non admittunt eos, quibus concedere nolunt, quod petunt, aut quibus infensi sunt.



4. *Nemo est, qui imploret iustitiam*, קרא בצדק, propr. *vocans iustitiam*, quia nempe iudices erant iniqui, sese iis permittere nemo audebat. נשפט באמונה, *qui iudicet in veritate*, hoc est, cuius iudicium nitatur veritate, ac proinde aequitate. בטרוח על חרו, *confidendo super inanitate*, h. e. nullis certis rationibus nituntur iudicia, sed inanibus ratiocinationibus. הרר עמל, *concupere molestiam*, consilium concipitis molestias aliis creandi.

5. Sunt haec proverbiali modo dicta, quae non debent ad vivum refecari, sed ex scopo intelligi. Significantur a malis saepe capta consilia, ut si quis venenatarum serpentium ova, quae calcari, debent ab iis, qui in ea incidunt, studiose excluderet, quo noxia animalia inde suo tempore prodeunt in perniciem hominum. Et quisquis gustarit eorum ova, hoc est, particeps fuerit eorum consiliorum, morietur, num ex compressis eiusmodi ovis viperarum, id est, venenata consilia, nascentur. *Telas araneae* propheta videtur vocare malorum iudicium inanes ratiocinationes, quibus iniusta iudicia plebi adprobare nituntur, quamvis tam facile dissolvi possunt, quam araneorum telae.

6. Coleres tamen, quibus iudiciorum suorum iniquitatem tegere conantur, non obstabunt, quo minus intelligatur.

7. Gressus illorum eo feruntur, ut malum et caedem moliantur, neque quidquam meditantur aut cogitant, quod allaturum sit aliquod operae aut studii pretium. In eorum operibus tantum spectatur et quaeritur aliorum pernicietas atque exitium.

8. Nihil meditantur aut quaerunt, quod pacis habeat, atque concordiae fructum. In eorum consiliis nulla est iudicii aut honestatis ratio: nihil non audent quod sit contra aequum et fas. Elegerunt sibi sinuosas semitas, et incur-

vos anfractus, quos qui ingressus fuerit, longe erit, ut pacis fructum, aut quod optari possit, consequatur.

9. Loquentes inducit propheta superflites paucos pios, agnoscentes culpam communem. Propterea משפט h. l. est vindicta sive defensio Dei, ut supra XL, 27., et צדקה, beneficium liberationis vs. 11. mutatur cum ישרעה. Propter hæc nostra peccata cum in tribulationum tenebris libertatis et quietis lucem optemus, adhuc tamen haeremus in tristi victoris captivitate.

10. Erramus sicut caeci, quibus quia manus pro oculis sunt, parietes attrectant et palpant: neque minus in meridiana luce, quam in nocturna caligine coecutimus: aut magis a solaribus radiis illustramur, quam mortui, qui iacent in sepulchris. אשמנו sunt *tenebrae*, coll. Syr: ~~אשמו~~, *tenebrae, profunda caligo.*

11. Sic est gravis et longa lugendi materies, ut et gemitus tristis sit, et vehemens, qualis urforum rugitus; et paene naturalis et proprius, qualis est columbarum, quae numquam non gemit. Expectavimus salutem propter merita, quae putamus maxima (vid. Cap. anteced. vs. 2. 3.): sed frustra expectavimus: longe enim a nobis recessit.

12. Si in nobis esset vera sanctitas, et non fucata religio, responderet utique nobis, dedissetque Iehova salutem; sed quia mera crimina sunt, quae patravimus, illa nobis tot infortuniis et casibus responderunt.

14. Iudicii atque aequitatis ratio prorsus exolevit: in plateis, ubi causae disceptantur publice legitimo foro, dolus tantum dominatur atque calumnia; eoque progressa fraus et largitio, ut in eis nullus iam sit aequitati aut veritatis locus.

15. ויָסַר מִרַע מִשְׁחַלְלֵי, *qui recedit a malo, se subducit, se subducere cogitur*, hanc enim verbi חָלַל esse significatio- nem, SCHEIDIVS ostendit in *Observatt.* ad quaedam V. T. loca, subiunctis Dissertat. in Cantic. Hiiskiae, p. 42. seqq.

16. Cum Deus habuisset in eo populo plurima, quae suppliciis plecteret, tamen quo est ingenio miti, et ad misericordiam pronò, voluit illorum potius saluti consulere, quam vindice iustitia perdere. Quaerebat itaque virum, qui intentum iam ad vindictam animum retardaret, et districtum gladium in vagina reconderet. Sicut etiam in Sodomis cognatisque civitatibus decem vellet reperire viros probos, qui a civitatibus illis, licet omni nefaria turpitudine contamina- tis, ultrices cohiberent manus. Quod etiam in casu non dissimili optabat apud Ezechielem Cap. XXII. vs. 30. apud quem, cum similes narraffet fraudes, et calumnias, subiicit: *Quaesivi inter eos virum, qui sepem muniret, qui staret coram me pro terra, ne periret, nec inveni.* Similiter Ierem. V, 1. Ezech. XIII, 5. Cum autem eiusmodi occurreret nemo, animo fuit anxio et perplexo; id enim hic indicare videtur verbum חָשַׁח, *obstupuit*, pro quo Latinus vulgatus interpres non male posuit, *aporiatus est*; quod verbum est Graecum deductum ab ἀπορία, quod *dubitare* significat, *egere*, aut *animo esse anxio*. Quasi Deus desertus sit ab eo, quod maxime cupiebat, nempe ab homine, qui ipsi in eo studio atque ardore capiendae vindictae sese intercessorem oppone- ret. Unde quid faciendum sit, nescit: cum peccata clament vindictamque expetant, atque ideo ipse quodammodo in ea animadvertere cogatur, neque tamen habeat, quo se ab ea puniendi necessitate possit eximere. Salvavit nihilominus populum patrono destitutum brachio suo, ita ut a sua tantum clementia habuerit, quo populum omni supplicio dignissimum liberaret: et sua illum iustitia confirmavit, ut in hostes, a quibus vexatus populus fuerat, animadverteret.

17. Ergo ut stratis hostibus populum liberaret dure vexatum, idoneis ad id negotii armis se ipsum accinxit, non aliter atque strenuus dux ad debellandos hostes.

18. Sic ergo munitus ad vindictam procurret, et talia hostibus rependet, qualia ipsi populo inflixerunt incommoda. Etiam si quam longissime absint, ibi tamen suorum meritorum retributionem et poenarum vicissitudinem habebunt.

19. Hoc vero supplicium sic erit severum et grave, ut omnes gentes, ad quarum aures pervenerit, stupentes horreant. Dei timor eos invadet, et divinæ gloriæ ingens admiratio. *Orientis* et *Occidentis* nomine totum orbem intelligi, notum est. Exercitus vero, quem secum adducet imperator ille maximus, instar fluvii, ripas egressi, irruet in hostes, ita ut contra illius virtutem admirabilem nihil obtendi possit. Quod vero additur, *sicut fluvius erectus*, vim fluminis ingentem et praecipitem designat, qualis est fluminis, quod aquarum vim maximam colligit, eamque cohibet angusto alveo, quae hinc inde claudunt praealtæ ripae. In verbis ultimis: *spiritus Iehovæ in illo vexillum erexit*, translationem incoeptam deserit. Sensus est: in illo exercitu, quem Iehova ad ultionem adducet, ipse dux erit, aut vexillifer, qui exercitum ducat.

21. Hoc foedus meum cum populo: hæc mea promissio, consecuturos libertatem eos, qui ex genere Sionio impietatem execrati sanctitatem coluerint. Tu vero, o Iesaiæ, curato, ne verba, quae meus tibi dictavit spiritus, de tuo ore unquam recedant; quod etiam edico posteris, posterorumque filiis in sempiternum.

LX. I. Quasi iam ab exilio redeant aerumnosi Iudaei, et undique gentium conventus magni fiant ad habitanda Hierosolyma, excitat propheta civitatem sanctam ad iucundissimum illud spectaculum, quod iamiam postliminio adesse fingit. Observatum est saepius, *noctem* et *tenebras* apud Orientales

tales poetas frequenter pro aegritudine animi, aut pro vitae squallore, aut fortunae incommodis adhiberi. Qualem statum omnino pertulisse perhibentur in oraculis Hebraeis Babylonii exules. Idcirco dum noster canit adventare lucem, et illuminanda esse Hierosolyma, procul dubio significat, adesse iam rerum vicissitudinem, et instare tempus, quod animos diffundat, et exhilaret moerore antea et sollicitudine contractos.

2. Dumjalis gentibus durum victoris iugum imponitur, tu ab illo liberaris.

3. Cum splendoris lucisque imagine semel uti coeperit, illam amplificat, ubi cavendum, ne singula anxie urgeamus.

4. Undecunque terrarum ad antiquas sedes redeunt dispersi exules. בנרחיק על צד האמה, *filiae tuae ad latus*, i. e. sub cura perpetua, ductu et inspectione tua, tanquam matris, *nutrientur*, i. e. educabuntur.

5. נהה, propr. *splenduit* coll. Syr. et Chald. h. l. *laetus est*, uti et Latini *nirere* de gaudio dicunt. פחד h. l. *prae gaudio trepidare* significat, conf. not. supra ad Cap. XIX, 17. Porro *cor dilatatum* (רחב לבבך) opponitur *animo anxio et presso*. Posterius commatis membrum, *venient ad te divitiae maris atque opes gentium* Grotius interpretatur de Tyriis ad Hierosolyma restaurata res promercales adferentibus Nehem. XIII, 16. Mihi tamen singula haec ad felicioris vicissitudinis imaginem adornandam potius videntur pertinere, nec ad eventus historicos examinanda.

6. עיפה tribus Madianitarum, vid. Genes. XXV, 4.

7. Cedarenorum Nabathaeorumque (Arabum Nomedum) pecus in altari meo, in quo placari soleo, iugiter immolabitur, quod domus meae gloriam ostendet et amplificabit.

8. Quam velociter ut nubes, Iudaei undique in patriam redibunt, sicut columbae ad notas turres.

9. Ad nutum meum attentae sunt gentes longinquae ad vos iuvandos.

10. Qui a te prius alieni ac peregrini fuerant, in moenium tuorum molitionem sedulo incumbent, et reges, qui rationibus prius adversabantur, voluntaria et grata deferent obsequia. Videtur poeta alludere ad regum Persiae in Iudaeos liberalitatem, vid. Esr. I, 8. VI, 8. 9. Sicut graviter iratus te affixi, ita summe tui misertus te restituam et ornabo.

15. Pro eo, quod derelicta et contemptui habita fuisti, adeo ut nullus fuerit, qui in tuam se societatem atque familiam daret, sive metu, sive pudore deterritus, excitabo te, eoque proveham dignitatis et lucis, ut nihil in populis habeatur admirabilius et illustrius.

16. Gentium exterarum et regum divitiae ad te confluent.

17. Eo tempore nihil erit vile, nihil non sincerum et purum.

19. Non indigebis amplius lumine solis interdiu nec splendore lunae noctu; te enim semper Iehovae splendor collustrabit.

LXI. I. Testatur propheta, sibi a Iehova hoc munus esse impositum, ut exulibus Iudaeis feliciorum vicissitudinem annunciet. Conf. supra XLIX, 1-6. Misit eum Iehova ut *obligaret contritos corde*; nempe quomodo boni chirurgi vulnera obligant, sic propheta iussus est illorum dolorem mitigare suis vaticiniis. פקח קורח propr. *apertio*, dissolutio *lori*, nam Chaldaeis קורח est *lorum*.

2. לקרא שנה רצון ליהוה, *ut praedicarem annum placabilem Iehovae*, ut significarem tempus, quo Deus se ostensus esset propitium Iudaeis. ויום נקם לאלהינו *ei diem ultionis Deo nostro* (scil. quem diem sibi destinavit Deus ad ultionem sumendam) in Babylonios.

3. oleum gaudii, unguenta, quae in rebus laetis sumi solebant. קרא להם, *acclamabitur eis*, s. vocabuntur, *quercus firmitudinis*, i. e. similes erunt quercibus sive terebinthis, quae altas radices egerunt.

5. Ita in bona omnes fortuna eritis, *ut facile ad quaevis ministeria reperturi sitis aut hostes belle captos, aut alios mercede conductos.* *Szare* hic significat ad nutum praesto esse, ut supra XLVIII, 13.

6. Sensus est, Israelitas omnes dignitatem sacerdotum esse consecuturos. Quippe qui non ex iis rebus, quas ipsi multo labore paraverint, vitam essent sustentaturi, sed de iis potius, quas alii e terra produxerunt aut pararunt, iisque oblaturi essent. Verbum תסימר a plerisque interpretibus explicatur, *se effirre, superbire*, ut sit formatum ab אמר, mutato א ia י, ad quam sententiam etiam inclinavit *Schultreusius* in Animadvers. Philologg. ad h. l. Sed *Scheidius* ad Cantic. Hiskiae p. 167. deducit formam h. l. obviam ימר *fluctuare*, in Hithpael igitur est, *fluctuantem se iactare*, h. e. pro animi lubitu alte se immergere. Quam dicendi formulam illustrat ex lingua latina. Sic enim Cicero in Orat. II, 27. Philipp. *ingurgitare se in copias* dixit de insatiabili Antonii avaritia, et in bonam partem *Gellius* L. V, 16. hoc vocabulum adhibuit, *ingurgitare se in philosophiam*.

7. חחח בשחבם משנה *pro pudore vestro duplum*, h. e. beneficia dupla, s. eo maiora, ut patet ex parallelismo membri prioris hemistichii secundi; ante כלמה suppleendum est חחח, et ב ante חלקם.

8. Rationem reddit eius quod dixerat. Iehova foedere olim pacto cum Iudaeorum genitore, eius posteris terram Cananaeam promiserat sub hac conditione, ut regem et dominum ipsum venerarentur. Promissa illi faciunt; iniuste igitur ageret, si qui ipse omnem falsitatem et violentiam odit, quod suum est, non praestaret.

9. Populi exteri cognoscent, illos esse soholem Abrahami, cui Iehova tam magna promisit, Genes. XXVI, 4.

10. Hic prophetae respondet civitas Hierosolymorum. *הלבישני בכרי ישע induit me vestimentis salutis*, prosperitate tanquam veste me circumdedit. כחחן יכהן פאר, *sicut sponsus, qui sacerdotem agat ornatu.*

II. יצמיח, *germinare faciet*, i. e. faciet ut appareat. צוקה וחהלה scil. Hierosolymorum, ut recte addit Chaldaeus.

LXII. I. Optime ad h. l. Dathius: „Chaldaeus, quem *Grotius*, aliique sequuntur, existimat, Deum induci loquentem a propheta, atque illud silentium explicant de *silentio operis*, uti *Vitringa* loquitur, h. e. Deum promittere, se qui haectenus cura sua et providentia Sionem amplexus sit, non *desitutum*, aut *cessaturum* esse, eandem illam curam etiam in posterum continuare usque quo omnia perfecit. Sed contextus non favet huic hypothese. Primo continuatur oratio de Deo Iehova in persona tertia. Deinde v. 6. et 7. clare docent, *silentium* illud dicere prophetam de se aliisque prophetis, qui non cessaturi sint precibus suis apud Deum intercedere pro felicitate Sioni restituenda.“

2. Gloriam obtinebis a Iehova praedictam, nempe ut sis corona magna, ut sequitur. Nam *vocari* apud Hebraeos est, iure tali elogio ornari posse.

3. Suspiciaris instar cidaris magnificae, et regii diadematis, quae Deus ipse servanda et custodienda sumsit.



4. כי לך יקרא הפזי בה, *nam tibi acclamabitur, beneplacitum meum in ea*, id est, dilecta mea, ut iamiam explicabitur his verbis: כי הפזן יהרהר בך. In vocabulis בעולה (*possessa, habitata*) et חבעל quaedam ad coniugium mariti cum uxore allusio est, ut patet ex *ἐπιθέται* ratione, quae statim vl. 5, redditur.

5. ומשורש החן—אלהיך, *sicut sponsus de sponsa sua laetatur, ita de te Deus*. Haec explicatio *ἐπιθέται* illius prioris, חפצי בה, *dilecta mea*.

6. Loquitur Iehova. Pro muris tuis, pro salute tua precatorez constitui sacerdotes et prophetas.

7. Vos prophetae et sacerdotes precamini perpetuo, ne patiamini Deum quiescere, excitare eum, donec reparet urbem Hierosolyma, eamque faciat late famosam.

9. Qui illa congegesserint, iidem ea etiam bibent in epulis illis, ad quas Levitas vocabant in circumiectis templo locis, Deut. XIV, 23. seqq.

10. Apostrophe similis ei quae supra C. XL, 3. 4. 5. aderat. Bene Dathius: „*Transire per portas* mihi videtur esse *non sedere otiose* intra portas, sed per eas patentes *exire*, et manum admovere operi reparandarum viarum publicarum, quod in sequenti membro iubetur.“ Haec Dathius. סקלו מאבן, *purgate, vacuum facite viam a lapidibus* (de סקל cf. not. ad Cap. V, 2.), proiicite omnia offendicula, quae aequalem gressum impedire possent.

11. Salvator Sionis est Iehova, vid. supra XL, 10., cum quo noster hic locus plane convenit.

12. עיר דרושה, *urbs quaesita*, ad quam multi confluent,

LXIII. 1. Hanc pericopam usque ad vs. 6. interpretes haud ignobiles, veluti Dathius, Doederlein, Henslerus, Grotium sequuti, de victoria interpretantur, quam de Edomitis reportavit Iudas Maccabaeus (1 Macc. V.). Quibus in memoriam non rediisse miror Caput XXXIV. nostri prophetae, cuius ut idem est argumentum cum hoc nostro, sic idem plane nexus cum iis, quae antecedunt et sequuntur. Sponte patet conferenti, caput illud similiter inter medias promissiones de reducendis Israelitis ex Babylónico exilio (C. XXXIII, 20 seqq. XXXIV, 8. XXXV. 10t. praec. vs. 8 — 10.) comparere sicut nostrum, quasi simplicem hanc sententiam exprimere voluisset propheta: **populus Iudaeus ex exilio liberabitur atque ad antiquum splendorem evehetur, gentes finitimae maxime olim ipsi infensae delebuntur.** Etenim sub Edomitis omnes alias etiam nationes intelligi, quae populum Israeliticum assiduo et pertinaci bello tentarunt, suadet Caput parallelum (XXXIV), ubi Iehova in omnes inimicos Israelitarum iratus poenas exerciturus infertur (vs. 1 — 4.): ubi mox tamen poeta in solis Edomitis subsistit, et sub horum interitu ceterarum quoque gentium vastationem depingit, cf. Obadiam (qui quidem in describendis Edomitarum fatibus per vaticiniū latebram tam nostrum imitatur Cap. XXXIV. LXIII. quam Ieremiam, C. XLIX.) vs. 15. 16. Ierem. XLVI. — XLIX. Insignem lucem toti nostro loco praebet Ezech. XXXV. XXXVI. praecipue Capitis posterioris vs. 4. 5. 6. Sed ad nostrum locum redeamus. Ubi primum observandum est, repetendum hic esse id quod saepe Iehova de sua fidelitate atque iustitia praedicavit, de qua nonnulli Hebraei querebantur, quia parum fideliter videbatur praestitisse, quae tamen aperte prius et tam prolixè promiserat. Promiserat autem sternendam esse potentiam illorum, qui in populum suum hostiles spiritus imbibissent; a quibus essent non dure solum, sed etiam contumeliose tractati; ac denique quidquid esset impedimenti ad gloriam et libertatem populi antea

anteâ captivi, esse omnino tollendum. Quae pars extrema fuit capitis praecedentis, ubi illustri genere dicendi declaravit, quam gloriosus futurus esset populi, qui in Iehovae tutela esset, reditus ex peregrinis terris quantaque eius felicitas. Haec itaque omnia, quae promissa sunt, fideliter esse completa, dicit vates, et illum, qui se ad salutem populi sui venturum dixerat, iam venisse dicit et prostratis hostibus sibi gloriam immortalem, et suis salutem et tranquillitatem attulisse. Videt poeta Iehovam victorem (cf. supra LIX, 17.) redientem eo habitu ac specie, quo strenuum Imperatorem, qui edita ingenti inimicorum strage vestimenta retulit resperfa hostium sanguine. Non dissimilis est εἴροικ illa Virgiliana, Aeneid. VI, 809.

Quis procul ille autem ramis insignis olivae  
 Sacra ferens? nosco crines incanaeque menta  
 Regis Romani.

דברו בלבושך *decoratus in veste sua*, pulchre paludatus: צעה *reclinato capite*, coll. Arab. رءءء, *inclinavit, reclina-*  
*vit*, vid. *Schroederi Observatt. ad Origg. Hebr. p. 45. seqq.*  
 (אני מדבר בצדקה) Respondet prophetae Iehova: ego ille  
 sum, qui iuste et fideliter impleo, quod promissi, quique,  
 quoscunque vult, servare potest.

2. Dic, ait propheta, unde iste cruor vestes tuas  
 adspersit, sicut viri aspergi solent, qui in torculari laborant.  
 Similitudo haec frequens apud Hebraeos, cf. Thren. I, 15.  
 Joel III, 18. E re vinitoria etiam in eodem argumento  
 allegoria petitur supra XXXIV, 4. Obad. 5. In אדם mani-  
 festa allusio ad nomen Idumaeae, sicuti in torculari ad no-  
 men *Bosrae*, quod vindemiam sonat.

3. Respondet Iehova, se non usum esse alio populo  
 ad hoc negotium perficiendum, suis viribus id perfecisse.  
 כצח h. l. et vs. 6. propr. *adspersio* coll. Arab. حءءء, hic  
 flagitante contextu *adspersio sanguinis*, sanguisque ipse.

4. Transla-

4. Tráslatum huc ex Cap. XXXIV. 8.

5. Cf. not. ad vl. 3. Solis meis viribus id efficere decrevi, fretus simul odio, quo in hostes illos ferebar.

6. בחמתי אשכרם *inebriabo eos ira mea*, irae meae calicem eis potandum dabo, cf. Ps. LXXV, 9. supra LI, 21. 22. 23.

7. Effunditur vatis animus in laudes eius, qui promissa tam fideliter implevit. Renovavit simul insigne beneficium aliorum memoriam, quae prioribus seculis idem Deus in eandem gentem contulerat.

8. Inducitur Iehova de filiis rebellibus deliberans, quos, licet digni essent quantavis supplicii acerbitate, parens tamen spe melioris frugis, iterum in suam curam recipit. Id indicatur verbis, לא ישקרר בנים *filiis qui non mentientur*, i. e. qui in posterum spem meam non fallent, qui deinceps meliorem mentem assument, et dignos parente filios se praeftabunt.

9. Ad verbum; *in omnibus arctis*, angustiis, *eorum non arctus*, s. *coarctatus* subint. ipse viribus; cf. Proverb. XXIV, 10. *Pigratus es ביום צרה in die arcti*; צר כהכה *angustae sunt vires tuae*. Vel, si id non placeat, *non eis adversatus est*, imo eos liberavit. ומלאך פניו הושיעםך *angelus faciei eius*, i. e. suus, *servavit eos*, cf. Numeror. XX, 16. וישלך מלאך וירצואנו ממצרים.

10. Qui prius afflictum populum ab hoste servarat, indignatus quod tot beneficiis tam impie respondisset, tradidit eos hostibus, a quibus male mulctati, et interdum subacti ferro, illorum iugum subire compulsi sunt; a Midianitis puta, Moabitis, Philisthaeis, Assyriis, et ad extremum a Chaldaeis.

11. Inde ab hoc versu usque ad finem Capituli LXIV. populus Israeliticus in exilio degens inducitur, Iehovam orans ut sui misereatur et pergat beneficus esse in suum populum, fervetque animum antiquum et paternam benevolentiam in eos, quos tractari videat tanquam alienos. Atque ideo antiqua commemorat prodigia, quibus animum suum in illam gentem testatum esse voluit. Ad ויזכר sub commatis nostri initio, referendus est nominativus עמר per traiectionem in fine membri positus. Patet id clarius ex Ierem. II, 6. ubi de Israelitis qui cultum Iehovae deseruerunt: *non dixerunt, ubi est ille Iehova, qui ex Aegypto nos eduxit?* Nostro igitur loco populus ille ad meliorem mentem respiciens siltitur. — In posteriori versus membro respicitur haud dubie ad distributionem donorum extraordinariorum, de quibus historia legitur Num. XI, 25 — 29.

12. *Qui brachio magnifico suo deduxit Mosem ad dexteram, i. e. dexteram eius apprehendens, ut patres pueris solent.*

13. *כמוס במדבר לא יכשלו sicut equus in campis non impegerunt; מדבר saepe significat campos, in quibus nec domus sunt, nec arbores, sed lata ad cursum spatia, ut bene Grotius. Israelitae non minus secure per maris alveum ivere, quam equus per tales campos defultat.*

14. *Ut si pecus in vallem planitiemve descendat, spiritus domini quietem illi (populo) dedit (חניהו). Innuvit poeta poeta quietem (מנוחה Deut. XII, 9. Pl. XCV. 2.) in terra promissa, post maris desertorumque locorum diutinas aerumnas: comparatione a pecorum ducta gregibus, quum per montium declivia in subiectam planitiem, laetis pascuis fertilem, deducuntur.*

15. *Viscera hic indicant misericordiae et intimi amoris affectum, cf. Exod. XXXII, 34. Sonuerunt viscera mea*

propter eum, miserebor eius, dicit Dominus. אֵלֵי הַחֶמֶקֶר, ad me continuerunt sese, nunc vero cohibes misericordiae tuae affectum erga nos.

16. Tu enim pater es noster, pater autem se continere non potest, quin misereatur filiorum. Et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu iustius pater noster diceris, quam illi, ex quibus naturae ordine geniti sumus, et qui nos in his malis constitutos sublevare non possunt.

17. Quare tam longe a te nos aberrare sivisti, cuius aberrationis mala nunc experimur? שׁוּב לַמַּעֲבָרִים *convertere propter servos tuos*, respice nos clemens propter illos patres, ex quibus ortum duximus, ut bene Chaldaeus. בִּי חֶלֶק עִמּוֹ יַעֲקֹב־חֶבֶל. cf. Deut. XXXII, 9. שְׁבֹטֵי נַחֲלֵהֶן נַחֲלֵהוּ

18. Ad breve tempus possedit populus sanctitatis tuae scil. tui, terram, quam iis hereditatem dedisti, vel: *sanctuarium tuum*, ex fine versus repetendum.

19. היינו מעולם, nos fuimus inde a tempore<sup>1</sup> prisco scil. tui, quorum dominus tu eras, ut ex contrario adiecto patet: illis vero (inimicis nostris, צָרִינוּ *vs. praeced.*) non es dominatus. לֹא נִקְרָא שֵׁם עֲלֵיהֶם *neque pronuntiatum est nomen tuum de eis*, id est, numquam vocati sunt Dei populus. Quomodo igitur hi venerunt pro nobis in terram hereditatis nostrae? Ita plures Hebraeorum, quos multi ex Christianis sequuntur. Mihi tamen magis eorum placet ratio, qui interpretationem sic instituunt: Fuimus, facti fuimus, (tanquam) quibus numquam dominatus sis, de quibus numquam nomen tuum est enuntiatum. In iis quae sequuntur, optat populus, ut Deo placeat summo fervore et aestu hostes eorum invadere: utinam tu, coram quo montes diffluunt, coelis discissis, ipse descenderes ad hostes populi tui delendos!

LXIV. 2. Ad verb. *instar ustionis ignis murmurantis strepitus aquam ebullire facit ignis*, i. e. sicut ardente, sive accenso, igne strepente aquam ebullire facit ignis, scilicet talem te exhibeas, ad potentiam tuam manifestam faciendam hostibus tuis. Verbum *هش*, docente *Schultensio* in *Origg.* T. I. p. 65. seqq. ex *Arabum Lexicographis*, denotat *strepitare*, et usurpatur de *rebus aridis*, ut foliis, ramusculis, similibusque inter se commixtis, quae cum accenduntur, strepitum ciunt.

3. Ad verb. *patrante te terribilia non expectamus*, id est, cum eximia virtutis tuae divinae documenta patraveris, nemo erit, qui prodigiorum ponderi non succumbat, qui perterritus non fugiat. Ante *כר* subintelligendum est *כר*.

4. Numquam auditum est, numquam auribus perceptum, numquam oculis patuit, esse Deum, praeter te, ullum, qui in se confidentibus talia faciat. Nemo est, qui viderit Deos aliarum gentium talia suis praestare, imo nemo est, qui vel probabili auctoritate tale aliquid de illis audierit.

5. *Occurris gaudenti et facienti quod iustum est*, (iis qui) *in viis tuis* (ambulantes) *tui recordantur*: ecce tu iratus es, nam peccavimus; *in his longum aevum* (*עולם*); *ah salvemur!* Dictionis concisa, vati nec insueta, nec eo indigna, ubi maior vis affectusque multum infit. Illam liberiore sic paraphrasi explicare liceat: *occurris*, bonum felicemque te illis praebes, qui prompto hilarique animo quae iusta sunt, faciant. Sed gravis graviter peccantibus ira nobis incubat; atque *longissimum* iam in istis malis agitur *aevum*, itaque *salus* tandem aliquando nobis et gratia obtinget.

6. Ita abiecti et derelicti sumus in exilio sicut res imunda, atque ceremoniae ac sacrificia rite a nobis peracta (*צדקחג*) eo loco a te habentur, quo nos res foedissimas. Miseri sumus, non aliter ac frondes, quae ex arbore deci-

duae in pulverem abeunt, neque quid habent, quod in iis aut ames aut aestimes. Peccata nostra tanquam praecipua et violentus turbo dissiparunt adegeruntque in varia atque importuna loca.

7. Cum benevolentiam tuam nobis subtraxeris, pauci sunt, qui preces ad te dirigant, vel qui excitantur, ut tibi adhaereant.

LXV. 1. Respondet Iehova ad preces populi: se ad tantam poenarum severitatem provocatum esse ait gentis corruptissimae sceleribus, quibus inde a longissimis temporibus se polluisset (2—8). Nec tamen se propterea totum populum esse reprobaturum, sed velle se sibi servare in eo quosdam fideles et probos, quando istos impios (ad quos iterum vs. 11. per apostrophem sermo convertitur) severe sit puniturus. Tandem in republica ita repurgata et restaurata felicissima tempora promittit. (vs. 17. seqq.). נדרש h. l. significat *interrogatum respondere*, ut Ezech. XIV, 3. XX, 3. 31. XXXVI, 37. Ad שאל suffixum primae personae quod verbo בקש additum est, subintelligi debet. Tria autem haec verba שאל, בקש et קרא in plusquamperfecto sunt vertenda.

2. Nihil non tentavi, quo populum rebellem ad me reducerem. פרשתי ירי *Extendi manus meas*, qui est gestus ad se vocantis et adhortantis; quod factum per prophetas, qui Israelitas perpetuo vocarunt ad cultum unius veri Dei, a quo saepe defecerant, eosdemque ad legum observationem hortati sunt.

3, על פני *ad faciem meam*: quibus verbis significat propheta proterviam Iudaeorum, commentitios deos colentium, quasi possent verum numen fallere. Statim speciatim explicat, quaenam sint illa, quae coram Iehova impudenter admissa illum provocarint ad iracundiam. Primum, quod secuti gentilitios mores in lucis sacrificarent, quod diser-



disertissime vetuerat Moses, vid. Exod. XXXIV, 13. Deut. VII, 5. XII, 3. Ierem. II, 20. *In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* מקטרים על הלבנים *suffientes super lateres, i. e. super altaria lateritia, cuiusmodi ex lege Mosaica nulla esse debebant, vid. Exod. XX, 25. Lateres enim erant instar lapidum caesorum, cum argilla in quadratam formam caedenda esset ferro, antequam coqueretur, aut soli exposita siccaretur. Alii respici putant ad sacrificia, quae ab idololatriis in *rectis* (planis in Oriente) peragi solebant, quem ritum superstitiosum in populo Israelitico etiam alii prophetae reprehendunt, vid. Ierem. XIX, 13. XXXII, 29. Zeph. I, 5.*

4. Sub iis qui *in sepulchris habitant*, intelliguntur ii, qui veneficorum causa, atque ad magicas artes exercendas mortuorum cadavera exsepulchris effodiant. Quare a poetis sagae iuxta tumulos morari traduntur. *Ovidius de Medea in Epist. Hypsipyles:*

Per tumulos errat sparsis discincta capillis  
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.

*Horatius in Epod. Od. VII. ad Canidiam veneficam:*

Nec in sepulchris pauperum prudens anus.  
Novendiales dissipare pulveres.

De his multa *Lucanus L. VI. Pharsal. de saga:*

Ast ubi servantur (cadavera) saxi quibus intimus humor  
Ducitur, et tracta durefcunt tabe medullae,  
Corpora, tunc omnis avide defaevit in artus:  
Immergitque manus oculis, gaudetque gelatos  
Effodisse orbes, et siccae pallida rodit  
Excrementa manus.

Idem *Apuleius L. II. Miles. Nec mortuorum, inquit, sepulchra rura dicuntur; sed et combustis rogis reliquiae quaedam et cadaverum praesegmina ad exitiabiles viventium fortunae petuntur, et cantatrices anus in ipso momento choragii*  
funeris

*funeris perpeti celeritate alienam sepulturam antevertunt.* (ובנצור ים ילינו) recte interpretatus videtur Hieronymus *delubra deorum, in quibus incubabatur, prope custodita, i. e. ἀδύτα.* Vid. Michaelis Supplem. P. V. p. 1672. Hieronymus gentiles dicit in templis incubare solitos in pellibus, quas ex immolatis hostiis detraxerunt, ut ibi somnia captent, quibus de futurorum eventu doceantur, idque suo tempore in Aesculapii fano observari tradit. In usu autem esse, ut in Aesculapii templo dormirent qui illius medica indigerent ope, docet Aristophanes in Pluto, ubi iocose consuetudinem hanc declarat. Multa de hac re collecta invenies in libello qui inscribitur: *der Somnambulismus unserer Zeit, mit der Incubation oder dem Tempelschlaf und Weissagungstraum der alten Heiden in Vergleichung gestellt von I. F. A. Kinderling, Dresd. et Lips. 1788.* האכלים בשר החזיר, *comedentes carnem suis,* quae ex lege Levitica immundissimae erant, vid. XI, 7. פרק פגול *frustula, fragmenta ciborum abominandorum* (vid. Ezech. IV, 14.).

5. Ipsi impuri cum essent, alios a se ut impuros arcebant. Tales vero, inquit, *sunt fumus in ira mea et ignis ardens tota die, i. e. tales subiectis furoris mei flammis fumare faciam, id est, ardere, adhibito ignis signo pro ipso igne.* Cf. Ps. XVII, 9.

6. הנה כתובה לפני, *en est scriptum coram me, i. e. ut rei scriptae et coram se in mensa positae nemo obliviscitur, sic nec eorum scelerum obliviscar, id est, poenam de iis sumam.* לא אחשה *non tacebo, non diu differam eorum poenam, ut bene Chaldaeus. In finam retribuere, est cumulate reddere, ut quae in finum effundi solent, vid. Ps. LXXIX, 12.*

7. Permiscentur hic personae secunda et tertia. Qui severe admodum puniuntur, dicuntur luere et sua peccata, et

et eorum qui ipsos in similibus peccatis praecesserunt, quorumque Deus peccata reliquit impunita.

8. Redi ad not. ad vs. 1. Huius loci sensum optime perspexit Kimchius, cuius verba hic latinae reddita appono: „alloquitur Israelitas in exilio degentes: ne desperetis, inquit, propter id, quod dixi, de liberatione, quia licet rependam peccata vestra et peccata maiorum vestrorum protrahendo exilium vestrum, tamen non deseram vos, sed educam vos ex exilio in patriam, postquam completa fuerit multa vestra. Comparat autem Israelitas botro uvarum, qui maturuit ad exprimendum ex eo mustum, et si quis veniat ad illum perdendum, dicet ei socius ipsius, ne perdas eum, quia bonum (ברכה), id est, mustum inest et quamvis in eo sint nuclei et cortex, in quibus nihil est boni et utilitatis, tamen propter mustum, quod inest, superesse faciunt. Sic Israelitae, quamvis inter eos sint peccatores, sunt tamen et iusti, qui sunt salus mundo, quorum causa non licet perdere eum, sed quemadmodum faciunt in botro, quem calcant, et ex quo mustum exprimunt, nucleos vero et cortices eiiciunt, ita faciet Deus iu Israelitis, educet eos ex exilio. et repurgabit eos, sicut scriptum est Ezech. XX, 38.“ Haec Kimchius.

10. *Saron caula ovium erit*, i. e. tam plena ea regio erit pecore, quam caulae esse solent. Eam regionem Hieronymus esse ait apud Lyddam, Ioppen et Iamnes pecori pascendo aptissimam, quod etiam discimus ex I Paralip. XXVII, 29. Per vallem *Achor* intelligitur pulcherrimus ille tractus apud Hierichuntem, vid. Ios. VII, 24. 26, Hof. II, 17.

11. Illos alloquitur, qui extra patriam, in Babylo-  
nicis terris, viventes, patrii quoque dei et patriae religio-  
nis obliti, gentium peregrinarum religiones, imo supersti-  
tiones, sequebantur. De idolis, quae hic occurrunt, *Gad*

et *Meni*, maximus est virorum doctorum dissensus. Omnium fere interpretum sententias recensuit ZORNIUS in Opuscul. Tom. II. p. 609. seqq. Verissimam sententiam mihi videtur dixisse MILLIUS in Dissertatione de *Gad et Meni*, quae quidem Dissertatio est quarta Dissertat. eius Selectt. Traiecti ad Rhen. 1724. Quia hanc Millii dissertationem ab interpretibus recentioribus neglectam video, eius summam breviter hic indicabo. Millius igitur per *Gad et Meni* non duos diversosque Deos, sed unum idemque idolum utroque nomine, et accuratius *lunam* designari, existimat. Cuius sententiae causam adducit hanc, quod hoc loco Israelitae dicantur *mensam exstruxisse τῷ Gad, et libamen, aut poculum instruxisse τῷ Meni*. Talis vero idolatorum consuetudo erat, ut eidem Deo, cui mensam cibis refertam parabant, poculum quoque vino, aut alio liquore plenum adponerent. Vid. *Histor. Draconis Babylon. C. II. Aeliani Histor. Animal. L. XI, c. 17.* (ubi de dracone quem in Melite Aegyptii divinis honoribus prosequiebantur *mensa et cratere appositis*), 1 Cor. X, 21. ubi Apostolus coniunxit *τρῆμα καὶ ποτήριον δαιμονίων*. Accedit, quod ille loquendi modus sacris scriptoribus perfamiliaris sit, ut eandem rem in diversis eiusdem commatis membris duobus nominibus eprimant. Ita Ierem. LI. 41. eandem urbem, quam in primo membro *Sesach*, in posteriori *Babylon* vocat. Item Ierem. XXXII, 35. in posteriore membro *Molechus* vocatur, qui in primo *Baal*, et Ierem. XIX, 5. idem idolum bis *Baal* appellatur. Et γὰρ quidem *Lunam* hic indicare, Millius probat primo vocabuli illius significatione, quae, docente lingua Arabica, *felicitas est, bonitas, benignitas*, unde Arabes deum ob beneficia accepta praedicantes, hac vulgo formula utuntur *لله جاد خال*, *Deus bonus, dominus noster*, id est, *optimus* (Latinorum *optimus maximus*), sicut Profani Deum non solum *ἀγαθόν*, sed *ἀγαθοτητα ἀγαθοτητα* vocarunt, vid. *Simplicium ad Epictet. C. XXVII, p. 250.* A *benignitate* vero nomen sortita est *luna*, quia ex veterum opinione,

opinionem, terrae proxima singularem in eam vim exserat, adeo ut *crescendi facultas a luna ad animalia perveniat*, auctore Macrobio in Somn. Scipion. L. I. c. XXIX, p. 67., et *mortalium corporum et auctor et conditrix* censetur, ibid. c. XI. p. 41. cf. Gellium Noct. Att. L. XX. c. 8., quin et *salubris sidus et generationi aptius quam ipse sol veteribus Aegyptiis* credita esset, teste Plutarcho de *Iside et Osir.* p. 367. Hinc *Atergatis* dea, quam Macrobius Assyriis sive Syris vindicat *Saturnal.* L. I. c. 23. אחרר, *Affyria* (cuius nomine veteres Syriam quoque complexi sunt, vid. Herodot. VII, 63) et נדא aut נדא *Deus*, aut *Dea*, ut notetur *Affyriae Dea*, id est, celebratissima illa veteribus *Dea Syria*. Quam Deam *Lunam* fuisse tam ex Luciani libello de *Dea Syria* patet, quam a Scaligero ad *Fragm.* Graeca Emendationi tempor. subiecta p. 27. ostensum est: unde apud Gruterum quoque p. 86. *Dea Syria diademate lunaro ornata* apparet. Eandem deam מני fuisse, verisimile est partim ex etymologia vocis, cum מנה significet *numeravit* (ad quam etymologiam statim a Iesaiâ vs. sequ. alluditur his verbis: ומניתי אהכם לחרב *gladio vos adnumerabo*), veteres autem annos ad lunae cursum numerabant, partim ex consensu cum vocabulo *μηνος*, quod olim *lunae*, *σεληνης*, nomen fuisse, a Graecis scriptoribus traditur (Num recte huc referatur *צל*, nomen idoli, a veteribus Arabibus culti, vid. *Coran.* Sur. LIII, vs. 19. 20., ut post *Pocockium* in *Specim. Hist. Arab.* p. 92. Millius fecit et Michaelis in *Supplem.* sub h. v., ego quidem dubito). Israelitas denique *lunam* coluisse circa ea, quibus Iesaias *Gad* et *Meni* cultum illis exprobrat, tempora, constat e *Ierem.* VII, 18. et XLIV, 17., ibi enim מלכה השמים *regina coeli* luna vocatur, perinde ut Arabibus *بعلة السماء*, *regina coeli*, nec non *Apuleio* L. II *Metamorph.* p. 357., et apud Horatium *carmine seculari* vs. 35. *fiderum regina*. — Phrasis ערך שלחן significat *mensam cibis exstruere*, ut patet e *Ps.* XXIII, 5. et *Ies.* XXI, 5. Sub שלחן vero hoc loco intelligenda est

*mensa sacra* aut *ara*, cui *Dei cibus*, id est, sacrificia imponerentur; quare etiam Malach. I, 7. *altare* vocatur שלחן יהוה cf. I Cor. X, 21. *τραπέζα κυβου*. כוס is *poculum*, a כוס *infundendo vino* ita dictum, perinde ut Graeci *poculum* κρατηρα α κεραιουμι *infundere* vocant. Quod vero *lunam* tali modo Israelitae coluerint, docemur Ierem. VII, 18., ubi *coeli reginam* מלכת השמים, id vero est, *lunam*, *placentis* et *libamine* coluisse dicuntur. Quod repetitur Ierem. XLIV, 17. 18. Nota praeterea est idololatorum consuetudo, qua Diis suis convivium et lautissimas epulas parare solebant; qualia erant *lectisternia* Romanorum.

12. Ostendit nunc variis imaginibus quid sit futurum discriminis inter eos, qui Iehovae fideles erant, et alios, qui ab eius religione ad aliam defecere. Illis felicitatem, abundantiam, et iucunditatem promittit; his contra omne infortunii genus minatur.

15. Ad verb. *relinquetis nomen vestrum in iuramentum electis meis* i. e. dicent pii, cum iurare vellent, si fallo, eveniat mihi quod istis Iudaeis, qui ob idolorum cultum gravissimis doloribus a Iehova sunt percussi. לעבדיו יקרא שם אחר, *suos vero cultores alio nomine appellabit*. Vocari saepe idem est quod *esse*, veluti supra LXII, 4. Iam cum ea vates commemoraverit supplicia populi, propter quae nomen obtinere potuerit *miseri* et *aerumnosi*, nunc ait propheta, Iehovae cultores longe aliter a Deo esse suscipiendos et ornandos, ita ut alio nomine longe dissimili vocari possint, felici videlicet et laeto. Fata eorum vestris plane dissimilia erunt.

16. Illud vero electorum nomen ad felicitatis votum adducetur, ita ut homines talia a fideli Deo sibi concedi postulent, qualia electo sibi populo largitus est. Quod etiam in iureiurando sancte per Deum verum atque fidelem concipiendo; dum a se malum omne deprecantur, assument.

Quia

Quia electo ea succedet honorum abundantia, ut malorum omnium, quae praecessere, memoriam deterat. וכי נסחרר מעיני, quia abscondita sunt ab oculis meis; id est, sic enim longe aberunt angustiae priores, ut non ab hominum solum, sed etiam a meis oculis procul abscessisse videri possint. Aliter, nec male Grotius: „nempe causae earum (angustiarum). Neque illi calamitatum, neque ego peccatorum meminero, et ita ostendam re ipsa me esse ipsorum Deum.“

17. Coelum novum et terra nova imagines sunt insignioris rerum humanarum in melius commutationis, cuius felicissimi seculi descriptionem poeta multiplici imaginum varietate exhibet. In eo longaevitae, qualis sub mundi primordia fuit (vs. 20.), securitas ab hostili incurso et rapinis (vs. 21.), non peculii nec liberorum amissio (vs. 23.), non labores, non preces frustratae (vs. 24.), pacata omnia, feris quoque mitescens et terrae proventu contentis (vs. 25.).

20. אשר לא ימלא את ימיו, qui non impleat dies suos. Sensus est, neque pueros, neque grandiores natu praematuram mortem sibi, sceleribus suis, accersituros. Iehova enim in lege mortem immaturam malis minatur. — Membri posterioris sensus est hic: centenarius pro puero tunc censetur, qui id aetatis si moriatur, irato Deo periisse putetur, annis quasi puer, moribus vitaque improbus. Ita העער et החוטא hic parallela sunt.

21. Huius versus sensum ipse poeta explicat vs. sequ.

22. Non evenient illis talia, qualia lex minatur improbis, Deut. XXVIII, 30.

23. לא ינעו לריק non laborabunt frustra; non erit conatus illorum a fructu vacuus. Si quid plantaverint, radices aget altas, neque alieni decerpent fructus: si quid aedificaverint, in illud non irrupent extranei. לא ילדו לבהלה

לבהלה *non gignent in maledictionem* (coll. Arab. <sup>יָהָרַ</sup> *maledixit alicui Deus, execratus fuit*, unde <sup>יָהָרַ</sup> *et* <sup>יָהָרַ</sup> *maledictio, anathema, dirae*, hinc Alexandrini recte *εὐκαταραξαι*), i. e. non eos gignent, quibus postea nil boni cedat, aut qui morte rapiantur immatura (vid. vs. 20.). כִּי אָדַרְעֵם אֲהַחֵם (דרע — אהם) Aderit enim illis divina benignitas, atque ideo eo usque producetur illorum vita, ut et ipsi nepotes videant, et cum iis longam ducant atque iucundam aetatem.

24. Mala avertam, antequam de iis conquerantur; ad bona largienda paratus ero, simulatque rogabor.

25. Cf. supra C. XI, 6. Eo tempore omnia periculo vacabunt et metu. (וכחש עפר להמר) serpentis cibus pulvis tantum erit, homines non attinget. (ולא ירעו — קדשי) Quare in monte, quem mihi ad habitandum elegi, nullum erit hominibus a ferina sylvestrique natura periculum.

LXVI. I. Sicuti in capite antecedente, ita etiam in hoc mala minatur malis (1 — 8), bona promittit bonis. Et primo quidem severe reprehendit illos, qui externa tantum religione contenti verae religionis et sanctitatis obliviscantur, neque quidquam putarent a Iehova sibi esse metuentum, quia templum habebant, et sacrificia, quibus assidue vacabant. Et primum quod ad templum adinet, docet se in eo non contineri, tanquam in loco, ut Iudaeorum quorundam stupor sibi ex eo persuasisse videbatur, quia multa sacrificia non alio loco, quam in Solymitano templo obiri poterant, atque ideo, quia apud se solum habitare Iehovam existimabant, omnia sibi tuta et prospera promittebant. Atque idcirco illis multum erat in ore: *templum Iehovae*, Ierem. VII, 3. 4. ubi hoc idem a Iudaeis requirit, ut ad externum cultum internam religionem adiungant: *emendate vias vestras, et studia vestra, faciamque ut hunc locum incolatis;*



latis; ne fidatis verbis mendacibus eorum, qui dicunt, templum Iehovae, templum Iehovae, templum Iehovae: nempe quia falsi prophetae persuadebant populo, propter templum, Iehovae sedem, Hierosolyma a nullo hostium occupari posse.

2. Non est, cur vobis de hac tanta templi mole placeatis, atque huius extruptione quasi optime de me meritos vos ipsos existimetis; quia, ut omnia a me facta sunt, sic etiam templum istud, non tam vestrum quam meum est opus. In posteriore huius commatis membro ad sacrificia respicit, quae dicit ita sibi aut grata, aut ingrata esse, prout est vita et animus offerentis. עני, *humilis*, hic est modeste de se sentiens; נכה רוח, *contritus spiritu*, poenitentiam agens peccatorum, ut Ps. LI, 19, הרהר דברי, *tremens ad verba mea*, qui praecepta mea cum reverentia suscipit, et metuit in leges meas impingere. Adducit Grotius locum non dissimilem ex oraculo apud Hieroclem:

Εὐσεβείῳ δὲ βροτοῖς γὰρ ἂν ὅσον, ὅσον ὄλυμπος.

(*Tam mihi res grata est pia mens, quam regia coeli*).

Atque e Seneca: vultisne Deum cogitare magnum et placidum, et maiestate leni verendum, amicum et semper in proximo? Non immolationibus et sanguine multo colendum, sed mente pura, honestoque proposito? Non templa illi congestis in altitudinem saxi, extruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.

3. Sub huius versus initium subintelligendum est: *alioquin*. Si istae virtutes absint, abominor victimas quasi homicidium, aut rei impurissimae oblationem (quam indicat *uis* et *canis* nomine), aut si quis vanos deos adoraret (מברך און). Membri posterioris sensus est hic: religionem Iudaeorum illius aevi non eam fuisse, quam lege sanciverat Moses, qui pietatem animi cum externis ritibus semper coniunctam esse voluerat; sed ipsorum commentum, quo sibi finxerant, sine mente pia et sancta ritibus illis externis inesse aliquam sanctimoniam. Voce שקרן alias abominandi

dii intelliguntur, sed superius membrum ostendit, de abominandis factis hominum agere prophetam.

4. Quare sicut illi vanis et ludicris sacrificiis illudebant magis quam honorabant me; sic ego vicissim illorum rationibus et consiliis illudam, atque in illa inducam infortuniam, quae ipsi vehementer horrent. Saepe illos per prophetas vocavi, illi vero meis praeceptis non obtemperaverunt.

5. Ad pios nunc convertit orationem. Fratres, inquit, vestri suae religionis opinione vehementer inflati, animo a vobis et studiis longe dissidentes, dicunt, suis meritis nihil non arrogantes: gloriose aget in nostra causa Iehova, edetque admirabilia suae virtutis documenta, spectans ad sacrificia, quae in templo quotidie in eius honorem immolamus (למען שמי יכבד יהוה). Sed longe aliter, atque illi spectarant, eveniet. Vos enim pietatis vestrae praemia accipietis; illi fucatae suae religionis supplicia.

6. Quum felicioris vicissitudinis, quam pii sint experiri, mentionem fecisset, statim transit ad Hierosolymorum atque reipublicae Iudaicae restorationem describendam. Audit Iehovam, tonitruum sonu e sede sua egredientem, ut hostes prosterнат, et pios ex Israelitis reducat.

7. Ut repentinam atque insperatam illam feliciorē vicissitudinem describat, similitudine utitur a femina desumpta, quae priusquam dolores pariendi sentiat, pepererit.

8. Monstri plane simile esset, si ager uno die et exciperet semen, et effunderet fruges, aut si una femina totam gentem eniteretur. Sed tale quid in republica Iudaica restauranda eveniet (cf. *vs.* *anteced.*).

9. Qui aliis, ut generare possint ac parere, foecunditatem ac facultatem tribuit; sane illi non deerunt vires, ut  
ipse,

ipse, rem non minus miram, quam illa est, quae vs. anteced. erat memorata, patret.

11. וְהִחַעֲנַנְתֶּם מִזִּו כְּבֹדָה, *ut oblectimini superbia* (coll. Syriaco ܟܘܠ, *superbiviv*) *opum eius*, id est, abundantibus et pretiosissimis opibus.

13. Omnium gentium divitiae et opes ad vos confluent. In verbis commatis ultimis: *ad latus* (scil. matris, id vero est *in brachio*) *gestabimini, super genua ludetis*, continuatur allegoria a cura materna circa infantes tenellos. *Tam parum moeroris et calamitatum experiemini, quem teneri infantes, quos matres blando fovent in sinu.*

14. Eo tempore divina virtus apparebit tum in læeto et felici statu cultorum Iehovae, cum in in piorum poenis severis, quae proxime in versibus tribus sequentibus fusius exponuntur.

15. Bellator Iehova quadrigis invehitur ad turbinis modum incitatis, ex quibus in hostes igneos intorquet globos.

17. Cadent tunc divina confecti dextera, qui in hortis et lucis impia superstitione mundari se ac sanctificari existimabant. אַחַד nomen est idoli, quo Assyrii solem coluerunt. Testimonium, ex quo inprimis hoc probatur, extat apud Macrobium Saturnal. L. I. c. 23. *Accipe, quid Assyrii de solis potentia opinentur. Deo enim, quem Jummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt, eius nominis interpretatio significat unus* (unde patet, Macrobium false scripserit *Adad* pro *Achad*, אַחַד, nisi diversae dialecti pronunciationem secutus sit). *Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum: sed subiungunt eidem Deam, nomine Atargatin* (אַחַרְגַּד, sive גַּד, conf. supra not. ad Cap. LXV, 11.) *omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt. אַחַד אַחַד post Achadam, i. e. sectari Achsdum.* Dicendi formula

mula de vero et falso cultu religioso usurpata. *Ire post Iehovam*, Hol. XI, 10., *post alios Deos*, Ierem. VII, 9. Ezech. XIII, 3. בחוך, *in medio*, i. e. palam. — עכבר, vel *mus agrestis*, secundum BOCHARTVM, Hieroz. P. I. p. 1015., vel *glis*, iuxta OEDMANNVM *Vermischte Sammlungen*, Fasc. II. c. 3., animal immundum ex lege Levitica, Levit. XI, 29.

18. ואנכי מעשיהם ומחשבניהם, *Et ego*, i. e. ad me quod adinet (ut supra LIX, 2: Pf. LXXIII, 2. 28.) *opera et cogitationes eorum*, supple, *novi et abominor*, atque *puniam*. Confer Αποστολῆσων, exempla Ezech. XXXIV, 8. Pf. LXXXIX, 36. Nihil in minis usitatius, vid. GLASSII *Philol. S.* p. 1352. 53. ed. Dathii. Tunc omnes gentes convocabo, ut meam potentiam divinam cognoscant in puniendis malis atque ornandis meis cultoribus, cf. supra v. 14. et ibi not.

19. Eo tempore, quo hi suppliciiis adficientur, illi prae-  
miis ornabuntur, Iehova ex gentis Israeliticae reliquiis bonis, nuncios mittet ad cunctas nationes, ut et ipsae praesentes appareant, et quantum sit numen Iehova, cognoscant. ושמהי בהם אור, *Signum ponam in illis*, scil. reliquiis bonis, i. e. excitabo ex iis quos ad exterarum gentes nuncios mittam, signo erecto, militarem in modum, tanquam summus imperator. Sub פליטים, *iis qui evaserunt*, scil. poenam, noster saepius intelligit gentis Israeliticae reliquias bonas, extirparis malis impiisque, veluti supra XXXVII, 31. IV, 2. 3. פול videtur veterum *Phile*, ad Nili cataractas, vid. BOCHARTI *Geograph. S.* p. 263—270. et CELLARII *Africam* p. 77. 86. לרר Aegyptiorum colonia, populus Africae, vid. Genes. XIII, 1. Paral. I, 11. חרבל *Tibarenos* esse, Ciliciae gentem, Bochartus magna cum veri specie Geogr. S. Lib. III. c. 12. docuit. In verbis משכי קשה videtur ad מִשְׁךָ, i. e. *Moschorum* populum alludi, *Tibarenis* (חרבל) vicinum, et cum his coniunctum, Genes. X, 2. ubi vid. not.

20. Ubi gentes exterae Iehovae maiestatem, omnibus aliis diis longe superiorem, cognoverint, ad illius templum  
munera

munera mittent, quo significant, se non minus, quam Israelitae, tanti numinis cultores esse. Scilicet gentium exterarum ad populum Israeliticum adsociatio ad aurei seculi splendorem pertinebat, vid. nostrum supra Cap. II, 1—4. et huius Capit. argum.

22. Haec promissio pertinet ad pias illas reliquias, de quibus vid. supra ad vs. 18. quibus iam alii populi adiuncti sunt; ut patet ex antithesi v. 24. De coelis et terris novis cf. not. ad LXV, 17.

23. (מדי חדש בחדש ומדי שבח בשבחו) Ad haec verba bene Aben-Esra: „Sensus, *omni die, quo erit Novilunium*, quemadmodum sumitur vox מדי Cap. XXVIII, 19. עברו, *omni tempore quo transiverint*. Phrasis autem: *novilunium in novilunio suo*, comparari debet cum illa Exod. V, 19. דבר יום ביומו, *opus cuiusque diei, in die suo*, h. e. opus singulis diebus assignatum.“ Vocula די coniuncta cum particula מ in מדי, notat non tantum *initium*, verum et *continuationem* temporis illius vel actus, qui in oratione exprimitur. Duplicatio autem vocis cum *affixo* relativo significat *tempus* certum et praecisum, ad certum aliquod opus determinatum, ut Dan. I, 5. *Et Rex constituit* (definivit) דבר יום ביומו, *rem diei in die suo*, quem cibum quolibet die sumerent. Sensus igitur illorum verborum est: omnem populum in illis diebus, qui Noviluniis et Sabbathis celebrandis destinati essent, ascensurum esse ad adorandum coram Iehova.

24. Tunc pius et felix coetus cultorum Iehovae supplicia videbit, quibus impii illi (vs. 17. 18.) adficientur. Cadaverum instar viventes perpetuo a vermibus arroduntur, foedissimum adspectu. דראון est *abominatio*, coll. Arab.  $\text{مرف}$  *repulit, avertit malum*: a repellendo vero *abominationem* et foedum dixerunt Hebraei.

---

 N O T A R U M

AD

CAP. XLII. XLIX. LII. 13. 14. 15. LIII.

*Additamentum.*


---

 Ad XLII, 1—7.

Magnus est interpretum dissensus, quisnam sit *servus Iehovae*, de quo hic multa praeclara. Sunt, qui *Messiam* a vate hic describi putant, idque maxime ob Matth. XII, 18—21, ubi locus noster ad Iesum Messiam refertur. Sed constat, Evangeliorum scriptores ex singulari quadam scriptura sacra interpretandi ratione, quae tunc inter Iudaeos recepta esset, multa prophetarum aliorumque scriptorum Hebraeorum loca de Messia interpretatos esse, quae e scriptorum consilio de aliis personis agerent. Quare, ubi de sententia et scopo loci alicuius ex libris Hebraeis questio agitur, Novi Testamenti auctoritas est nulla; sed semper ex scriptoris Hebraei contextu sententiarumque serie sensus erit investigandus. Atque nostrum quidem hic Messiae mentionem facere *potuisse*, qualem quidem fingere tolerent illius aevi scriptores, nec vetat res ipsa, nec orationis nexus; unde etiam nonnulli ex Hebraeis eruditi, veluti Kimchius, quatuor commata priora de Messia sunt interpretati. Sed quum in toto hoc libro *servus Iehovae* semper sit vel propheta, vel populus Israeliticus, ut mox probabimus, numquam Messias, et praeterea versus septimus illum Iehovae ministrum, de quo sub huius capituli initio, eundem libertatem ex exilio annunciantem describit (vide interpretationem); illa sententia parum est probabilis. Sed multo minus etiam ve-

ro est similis eorum sententia, qui *Cyrum* hic intelligi volunt, de quo supra XLI, 25. Nam et hic nec unquam Iehovae minister appellatur, nec quo iure tam praeclara de ipso dici potuerint, qualia hic legimus, facile patet. Sed quod rem plane perficit, est Caput XLIX. huic loco plane parallelum, quod nemo facile ad *Cyrum* retulerit. Ac mihi quidem non ita difficile intellectu videtur, quamnam personam noster hic describat. Etenim cum *ministri Iehovae* nomine nunc *propheta* appelletur (veluti supra XX, 3., infra XLIV, 26. L, 10.), nunc *populus Israeliticus*, et is quidem saepius in his capitibus, vid. XLI, 8. XLII, 19. XLIII, 10. XLIV, 1. 21. XLV, 4. XLVIII, 20.; iis in locis, ubi eius personae, quae *ministri Iehovae* appellatione indicatur, nomen non est adiectum, ex contextu atque ex iis rebus quae de illa persona dicuntur, quisnam sit intelligendus, debet iudicari. Atque illa quidem, quae hoc loco *ministro illi Iehovae* tribuuntur, non *populum Israeliticum*, sed *prophetam* innui clare ostendunt. Primo enim numquam *populus Israeliticus afflatu divino* (נחתי רוחי עליו) *instinctus* dicitur, sed semper *propheta*, vid. XLVIII, 16. LIX, 21. LXI, 1. Deinde verba vl. 6. ואחזק לברית עם לאור גוים de *propheta* esse intelligenda, patet ex XLIX, 6. ubi conf. not. Denique versus noster *septimus* sensu profus convenit cum Cap. LXI, vl. 1., ubi *prophetam* loqui, nemo negabit. Praeterea quam bene omnia, quae hic legimus, *prophetae* convenient, ex ipsa nostra interpretatione, puto, patebit.

### Ad Cap. XLIX.

Sunt interpretes, non minus docti, quam acuti, qui in priore huius capituli parte *Israelitarum piorum*, sive paucorum illorum, qui *Iehovam* colerent, coetum, sub *ministri divini* (עבד יהוה) persona inductum a poeta putent. \*)

Q q q 2

Quam

\*) *Paulus*, Professor Ienensis, in libro, qui inscriptus est: *Memorabilien*, Fasc. III. p. 180. *Eckermann*, Theolog, Beyträge, Fasc. II. p. 186 seqq.

Quam sententiam quidem non parum commendat vs. 3., ex quo primo aspectu colligeres, populum Israeliticum, ut alias saepe, ita et hoc loco vocari *ministerium Iehovae*. Fateor, me ipsum diu fluctuatum esse inter illam interpretationem, et eam, quae de *vate* haec omnia dicta accipit. Re tamen diligentius perpensa, cum omnem reliquam hanc orationem multo facilius ad prophetam, quam ad populum referri sentirem, versus illum tertium aliter interpretandum esse intellexi, quam primo obtutu accipiendus videtur. Succurrit deinde dubitanti etiam hoc, quod populus Israeliticus de se ipso in prima persona loquens numquam inducitur, nisi adiecto statim eius nomine. Qui de se ipso absolute in prima persona loquitur, semper est horum vaticiniorum auctor, id est, Iehova, sive, qui ab ipso suggesta enuntiat, vates: conferas, ut in posteriori huius libri parte, inde a Cap. XL. subsistamus, haec loca: XL, 6. 27. XLI, 1. 8. 25. XLII, 1. 14. XLVIII, 16. (ubi similiter vates ad attentionem ad se lectores excitat) LI, 1. LXI, 1.

Non ingratum me facturum lectoribus spero, si eam huius segmenti interpretationem appono, quam Kimchius, praestantissimus fere ex Hebraeis interpres, dedit. \*)

---

#### VI. 1.

*Audite terrae*) Intellige incolas terrarum: verba prophetae de se ipso loquentis. Verbis: *audite et attendite*, populos remotos alloquitur, quasi praesentes adessent, 1) quia illis vaticinatus est ultionem, quam de ipsis Iehova sit exsturus. Etenim vaticinatus est de Sanheribo, Assyriae rege, idque pluries, porro de Babylone, de Moabo, de Damasco, de Aegypto, de Duma, deque Tyro et Sidone.

*Iehova*

\*) Usus sum *Buxtorfii* Bibliis Rabbiniis, in quibus cum Kimchii, tum Jarchii et *Aben - Esrae* in Iesaiam commentarii inveniuntur.



*Iehova ab utero me vocavit*) Ne miremini, si tot mala vobis praedico, nam ad vaticinandum a primo ortu sum destinatus. 2)

## Vf. 2.

*Posuit os meum*) Non possum cohibere me, quin vaticiner, quia ipse Iehova posuit os meum instar gladii acuti, ut futura praenuntiem lingua soluta, 3) absque timore.

*In umbra manus suae celavit me*) Ne possint mihi nocere Israelitae, etiamsi mala ipsis praedicam.

*Posuit me in sagittam politam*) Ut iaculer lingua mea in gentes remotas.

*In pharetra sua occultavit me*) Quia adsimilavit se sagittae, ideo securitatem, quam Iehova ipsi praebet, nunc comparat cum pharetra, in qua sagittae absconduntur. Vocat autem se *gladium acutum* respectu Israelitarum, quia hi erant proximi ipsi, siquidem gladio percuti solet cominus, non eminus: *sagittam* vero ait, respectu gentium, quae erant remotiores, quia sagittis iaculari solent eminus. ברור significat tersam et expolitam, donec evadat pura et nitida.

## Vf. 3.

*Dixit mihi: servus meus es tu*) Quia tu destinatus es legationi meae, ut servus mandatis heri exequendis: dixisti enim, *en, mitte me* (Cap. VI. vf. 8.). 4)

*Israel*) Loquitur universaliter et particulariter: te, Israel, gloriabor, sicut herus gloriatur servo fideli.

## Vf. 4.

*Sed ego dixi*) Cum vidissem non esse convertos Israelitas ad poenitentiam reprehensionibus meis, dixi, in vanum laboravi. Mox repetit eandem sententiam vocabulis diversis.

sis. Iudicium meum et opus meum sunt cum Deo, qui misit me ad illos, nec quidquam profeci, et cum eo contendam super hoc. 5)

## Vf. 5.

*Et nunc dixit — ad reducendum Iacobum ad ipsum)* Ideo formavit me, ut sim ei in servum, et ut reducam Iacobum ad ipsum reprehensionibus meis, et ut ipse congreget Israelitas ad se, id est, ad cultum suum, et si non proficiet in hoc seculo, sufficit mihi, quod honorabor in oculis Domini, qui ostendet mihi arcana et futura sua, et ipse erit fortitudo mea, ne noceant mihi. In textu scriptum est  $\eta\alpha\sigma\tau$  ל א (pro ל) cum Aleph; quae legendi ratio admirationem exprimit. 6)

## Vf. 6.

*Et dixit: leve est)* נקל Niphal intransitivum; Koph habet Zere. 7) Sumendum est interrogative; 8) nam deest *He* interrogativum, quasi diceret: num vile est, quod dixisti te in vanum laborasse, num vile habetur esse mihi servum? non sufficit tibi hoc, quamvis non audiant aequales tui? sufficiat tibi, quod sanctus sis legatione mea, quodque suscitaveris tribus Iacobi a casu ipsarum in exilium inter populos? nonne sufficit tibi, quod praedixisti feliciora, quae illis sum adducturus?

*Et deserta Israelis ad reducendum)* Id est, ad reducendum illa ad pristinum statum: כצוררים significat *loca deserta*, ut hoc loco: *in desertis pernoctant* (Ies. LXV, 4.). 9)

*Dabo te in lucem gentium)* Sensus: vaticinia tua erunt in lucem gentium: quum enim intellexerint evenire quae praedixisti, revertentur in viam rectam, et collustrabuntur per te, adeo ut extendatur salus mea usque ad extremum terrae, nam in salute Israelis salvae etiam erunt gentes post bellum Gogi et Magogi, ut ait, *veniet omnis caro ad pro-*  
*stran-*

*strandum se ad conspectum meum* (Ies. LXVI, 23.), *similiter: et ambulabunt gentes ad lumen tuum, et reges ad splendorem ornus tui* (Ies. LX, 3.). 10)

VI. 7.

*Sic dicit Deus redemptor Israelis*) Scilicet ab exilio: nam futurum tempus respiciunt quae sequuntur segmenta.

*Venerandus eius*) Qui venerandum se praebebit in illis per mirabilia quae ostendet, dum educet eos ex exilio.

(לבוה נפש) Efficiet Deus, ut Israelem, quem quisque contemnit, et omnis gens abominatur, estque servus tot dominorum, 11) timeant ipsi reges, et coram ipso surgent, item principes, qui ante ipsum adorabunt. 12)

*Propter Dominum, qui est fidelis*) Propter Deum, qui Israeli in auxilium est, facient id, quemadmodum dicit Zacharias: *apprehendent decem homines etc. — ibimus vobiscum, quia audivimus, Deum vobiscum esse* (Zach. VIII, 23.).

*Qui fidelis*) In verbo suo, et in fide sua, qua confidere facit Israelitas: item propter venerandum Israelis, qui elegit te.

VI. 8.

*Sic dicit Deus: in tempore voluntatis*) Dicit Deus Israeli, tempore, quo facis voluntatem meam, ego exaudio te, dum clamas ad me de angustia, si qua venit super te.

*Et die salutis*) Id est, die, quo indigebis salute mea, auxiliabor tibi, et servabo te, et ita faciam in omne posterum tempus, servabo te a consumptione; quamvis interdum ea sis dignus, tamen conservabo te, donec ponam te in foedus populorum, idque futurum est tempore Messiae, quo opus est, ut sis in foedus populorum, id est, in stabilitatem populorum, quemadmodum ait: *statuet te Iehova sibi in populum sanctum* (Deut. XXVII, 9.),

*Ad fuscitandum terram*) Id est, ut fuscitares vastitates terrae Israelis, et ut possidendas tibi traderet hereditates, quae fuerunt desolatae per totum exilii tempus. In eundem sensum vertit Ionathan haec verba: בעה רצון, *tempore, quo vos facitis voluntatem meam, ego suscipio orationes vestras, et die angustiae ego suscito salutem et auxilium vobis.* Illud vero: להקים ארץ, *reddit: ad fuscitandum iustos, qui iacent in pulvere.*

Vf. 9.

*Dicendo vincitis: exite*) Iis, qui sunt in exilio tanquam vinciti, neque quibus est potestas exeundi e gentium servitute: ita porro assimilat exilium tenebris.

*Pascetur*) Cum redibunt ex exilio, invenient ubique locorum, quantum ipsis sufficiat.

Id est, in locis excelsis, ut Num. XXIII, 3. Mentionem facit clivorum, quia non solet reperiri pasuum pecoribus et armentis in montibus, eo quod non sint aquis irrigati: sic iis in locis, ubi alias non solet viator invenire victum, illi invenient, quantum ipsis sufficiat.

---

In ea quae praecesserunt Kimchii Scholia  
brevis Annotatio.

---

1) Ad eos populos, quorum fata futura canunt, ipsos missi dicuntur prophetae, vid. Ierem. XXV, 15.

2) Ad haec Iesaiiae verba bene Salomon Jarchii: מבטן קראני) משאני בבטן עלתה לפניו מחשבה להיות שמי ישעיה להנבא: ישועה ונחומה: *ab eo usque tempore, quo ego in utero matris extiti, ipse (Deus) cogitavit de me, ut nomen meum esset Iesaias, quo varicinarer ישועה, id est, salutem et solazium.* Cuiusmodi nominum explicationibus et allusionibus nil familiarius Orientalibus.

3) Ad

3) Ad verb. *In scissione linguae*: nos similiter: *mit gelöster Zunge*.

4) Aliter *Aben-Esra*: הוא מורע ישראל אשר כך (עבדי אחה) אתפארכאו יתה ישראל שאחה כהשב בעיני ככל ישראל והוא הנון: *Servus meus tu*, ex Israele ortus, quo gloriabor: sive dicit: *tu Israel*, hoc sensu, tu, qui in oculis meis reputatus es iustar totius Israelis: quod rectius.

5) *Aben-Esra*: אבן משפטי) אצל השם שיהן לי שכר על (יגיעתי וככה ופעולתי כמו ולא תלין פעולת שכר *propterea iudicium meum penes Deum*, qui dabit mihi mercedem laboris; ויגיעתי וככה ופעולתי כמו ולא תלין פעולת שכר *itaque eadem significatione hic occurrit* quae *Levit. XIX, 13.*“

6) *Aben-Esra*: לא יאסף) השרש שהוא בר"ו כאשר הוא קרי: וכמרהו הוא עשנו ו'לו אנחנו וחביריהם והנאון אמר לא יאסף לא ימות כי מנהגו לפ' כדרך קרי וכדרך כתיב' והנכון מה שאמרתו רק האלף" הכתב הוא תחת ו'ו' כאשר פירש ר' *Genuina est lectio cum Vav*, sicut exhibetur in margine. Eadem huius loci ratio est atque illius *Pf. C, 3*, *Saadias Gaon* verba לא יאסף interpretatur, *non morietur*: solet enim lectionem marginalem alio sensu explicare, quam textualem. Sed rectum est, quod nos diximus; modo hoc teneatur, *Aleph* pro *Vav* esse scriptum (conf. not. nostr. ad *Ies. IX, 2.*), sicut quoque docet *R. Iuda*, *Grammaticus*, cui fit terra levis.“ Ceterum de *Saadia*, lectionem marginalem diverso sensu interpretante a textuali, confer eundem *Esdraidem* ad *Exod. XXI, 8.*

7) Scilicet forma Participii usitator est נָקַל; sed simile nostrae exemplum occurrit in נָקַם I *Sam. XV, 9*. Penitius in hanc rem inquisivit *Storr* in *Observat. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 220. not. 223. not.

8) Ad verb. *Expositio cum admiratione.*

9) *Aben-Esra*: ויאמר נקל הוא בעיני להיווך עבד לשבב ישראל „*Dixit, parum est in oculis meis, ut servus mihi sis ad reducendos Israelitas in patriam vaticinando.*“

10) *Totius commatis sensum ita explicat Sal. Jarchi*: מהנה קטנה בעיני שמהא לך זאת לבדה שמהא לי עבד להקים את יעקב היא וזה שוב אלי כצורי ישראל והנני מוסיף לך עוד ונחתיך לאור ניום להנבא על מפלחה של בבל שהוא שמהא לכל העולם „*Munus parvum hoc est in oculis meis, quod tibi istud solum eveniet, ut sis mihi servus, ad erigendum Iacobum, et ad reducendum ad me custoditos (nam sic deinceps interpretatur (כצורים) Israelitas; sed en, etiam amplius tibi addo, ac dedi te in lucem gentium, ut vaticineris de interitu Babylonis, qui laetitiam afferet toti mundo.*“

11) *Sed rectius, ut arbitror, Aben-Era*: גם אלה דברי הנביא ובה הוא כה אמר השם לי שאני בוזי גפשי אצל הרשעים והנה „*Etiam haec verba sunt prophetae (de se loquentis); quasi dicat: ita Iehova dixit mihi, qui impiis contemptui sum: bode est nomen adiectivum.*“ Porro idem *Aben-Esra* (למחעב נוי) פועל יוצא לשנים פעולים שהנביא ידבר דברים: שיחעבורו בשבילם הגוים או יהוה למחעב נוי שהנביא יהעב „*Est significationis transitivae, geminam involvens actionem, quod vates talia eloqueretur, propter quae gentes eum abominatae sint. Sive dixit נוי למחעב quia vates לעבד מושלים, abominatur, omnes gentes.*“ והטעם כפי מהשבת גדולי ישראל או רמז על הבבליים והוא הנכוך *Servo dominorum*, scilicet ex opinione procerum Israelitarum (qui ipsi se dominos vocarent). Vel innuit Babylonios, quod quidem rectius.“

12) *Aben-Esra*: מלכים יראו וקמו המלכים כמו כורש כאשר „*Reges videbunt atque surgent, reges veluti Cyrus, cum audiverint prophetae vaticinia, surgent atque adorabundi humi se prosternent.*“

## Ad Cap. LII, 13— LIII, 12.

Eam huius segmenti interpretationem, quae inter Christianos recepta est, potius Daederlinii, praestantissimi Theologi, verbis quam meis, narrare placet, cum ob plures alias causas, tum maxime ideo, quod nemo alius interpres quae illi interpretationi tam favent, quam obstant, melius atque accuratius exposuerit. Magno, inquit, consensu interpretes Christiani, ii quoque, quos alias satis liberales videmus in agnoscendis vaticiniis de persona satisque Messiae, Iesu Christi, fatentur, huic sectioni tam alte tamque perspicue impressa esse Messiae vestigia, ut ea non agnoscere atque admirari non modo impium videri possit, verum etiam, quod ego gravius vererer, alienum a legibus interpretationis, nedum ab ingenio sano. Sive enim novi testamenti luce utamur, nefas omnino putant, quum, quae Esaias rerum gestarum scriptori similior, quam vati, hoc loco tradit, in unum Iesum omnia conspirent, de alio, quam de optimo generis humani servatore exponere velle locum, si quis unquam, uti videtur, apertum ac per se lucidum, iam autem, quod etiam magis ferit, saepius a Iesu atque Apostolis laudatum in historia Christi atque ad rem Christianam accommodatum. Laudatur enim Matth. VIII, 17. Act. VIII, 32. Rom. X, 16. I Petr. II, 22. seq. Ioh. XII, 38. Sive, posthabitis quoque his testibus, narrationem ipsam per omnes partes iunctim consideremus, hos characteres in alium, praeter Iesum, conspirare, omnino negant. Ac ego non possum non in has partes inclinare. Quamvis enim me non valde moveant necrationes dogmaticae, vel oportunitas his dictis utendi sive ad Iudaeos convincendos, sive ad demonstrationem satisfactionis mortisque expiatoriae aliorumque capitum doctrinae de Christo, quae profecto aliis fundamentis innituntur ac superstrui et possunt et debent; nec autoritas scriptorum novi testamenti, quos constat, aut accommodare dicta prophetae ad res longe diversas ab eius con-

consilio (Matth. VIII, 17.) aut differere e versione graeca (Act. VIII, 32.) aut formulis tantum repetitis ex hac oratione apte uti, ac, quae est praecipua tractationis causa, in historia passionis Christi nusquam laudare hunc locum, praeceteris perspicuum; tamen vix reperietur aliquis mortalium, qui personam, his characteribus descriptam, aptius et facilius sustineat, praeter Iesum. Sed ne quid dissimulem, non adeo possum in hac interpretatione acquiescere, ut certa, limpida, ac citra omnem dubitationem rata omnia esse persuadesr. Ac primum Messiae, qualem Iudaei votis atque desideriis expetere consueverunt, h. e. regis, imperio clari, vix certa vestigia recurrunt: deinde fieri vix potuit, ut lectores prophetae sine admonitu novi testamenti agnoscerent Messiae descriptionem; nec enim oratio eo lectores deducit, nec prophetarum explicationes succurrisse incitiae auditorum vel obscuritati orationum suarum, ullo probabili argumento colligitur. Ne dicam, commune vitium, a quo interpretes in his causis vix sibi cavebunt, committi, dum verbis non eam vim tribuant, quam per se habent atque offerunt, sed eam, quae cum historia Iesu facillime conciliari possit: quod est interpretis, veritatem explicationis suae optantis magis, quam probantis. Denique non omnino absurdum sit, prophetae dicta ex simili oratione illustrare, atque eo quasi monitore et duce discere, quae vis formulis subiecta sit, quemnam virum depingat. Saepius enim ad argumentum, ad imagines superiores recurrit. Quid igitur faciendum putemus? Hoc quidem, ut interpretationem, quae nobis adhuc magis arridet, de Iesu Christo, minime refugiamus vel obscuremus vel convellamus, sed potius probabili ratione ornemus, atque commendemus facilitate ac perspicuitate: verum ut aliam quoque explicationem, in quam studium et ingenium interpretis, destituti religionis Chr. luce, devenire possit, subiungamus. Erit igitur versio nostra hoc loco duplex, christiana altera atque, ut puto, orthodoxa; altera antechristiana et Iudaica, unice ex ipsius  
vatis



vatis lectione repetita. Haec Doederlein. Ceterum post illum Christianam interpretationem imprimis ornavit atque defenderunt GOTTL. CHRIST. STORR, Theologus Tubingensis, in *Commentatione, qua insigne de Christo oraculum Esaj.* LII, 13. LIII, 12. *illustratur*, Tubing. (sine anni notatione); atque CHRIST. DAV. ANT. MARTINI, Rostochiensis Theologus, in *Commentatione Philologico-Critica in locum Esaj.* LII, 13. — LIII, 12. Rostoch. 1791. 8.

Iudaeorum eruditorum in hoc capite interpretando divergia *Aben-Esrae* verbis tradam: „Multis, inquit, difficultatibus implicatum est hoc caput. Qui a nobis dissentiunt (Christiani), illum, quem ipsi venerantur, eo innui putant, de quo etiam interpretantur vocem עבדי. Quod nullo modo potest probari: etenim de illo non potuit dici: ישכיל (quod vel verti potest, *prosperae illi successerunt res; vel: prudens, sapiens fuit*). Porro quo sensu ille posteros vidisse et longa vita fructus (יראה זרע יאריך ימים, LIII, 10.) dici potest, cui horum neutrum contigit? quomodo multos praedam nactus est (ראח עצומים יחלו שלל, LIII, 12.)? Sed multo magis convenit, quam proxime antecesserit: *Iehova antegredietur illos* (כי הולך לפניהם, LII, 12.) id vero est, Israelitas, sequatur vero, *iubila sterilis* (רני עקרה, LIV, 1.), qua coetus Israelitarum indicatur; hoc loco intelligi exules Israelitarum, qui erant servi (cultores) Iehovae. Sunt haud pauci magistrorum nostrorum, qui hoc segmentum de *Messia* interpretentur, propterea quidem quod maiores nostri, beatae memoriae, dicant, Messiam natum esse, quo tempore destructa est domus sanctuarii, sed dein catenis vinctum.\*) Sed ex hac interpretatione multi versus vix dabunt sensum commodum. Veluti illi: *contemptus et vilis hominum* (נכזה וחרל אישים, LIII, 3.); *angustiae et iudicio ereptus* (מעצר וממשפט לקח, LIII, 8.); *unum cum impiis sepulchrum*

\*) Alluditur ad locum libri Talmudici *de Senatu* (סנהדרין) et ad allegoricam expositionem Cant. VII, 5. ubi videndus R. Salomon.

*ckrum naclus est* (ויתן אה רשעים קברו, LIII, 9.). Quomodo in eum convenit: *posteros videbit, longa vita fruetur* (יראה זרע יאריך ימים, LIII, 10.)? Saadias, magister celeberrimus, beatæ memoriæ, totum hoc segmentum interpretatur de *Ieremia*, nec id incommode. Verba יזה גיום רבים interpretatur: sermone suo, per vaticinationes, sicuti sub libri eius (*Ieremias*) initio scriptum invenitur (vid. *Ierem.* I, 5.). Verba עבדו לפניו refert ad illud, quod adolescens adhuc esset *Ieremias*, cum vaticinaretur (vid. *Ierem.* I, 7.). Versum vero 12. confert cum *Ierem.* XVIII, 19. *Memor sis, quomodo pro eis apud te intercesserim, ad iram tuam averte-*  
*dam.* Verba nostri vs. 7. *agni instar ad macerationem ductus est* confert cum *Ierem.* XI, 19. (vid. nostr. interpretat.) Quod noster LIII, 12. dicit, *cum fortibus spolia dividit*, interpretatur ex eo, quod *Ierem.* XL, 5. legimus, *Nebusardanem*, principem satellitum, ipsi viaticum aliaque munera dedisse. Verum enim vero hoc segmentum omnino cohaerere mihi videtur cum iis, quae antecedunt et consequuntur. Iam vero, quomodo post laetiorum temporum vaticinationes et ante illas, apte *Ieremias* mentio fieret? cum in illis de iis ex *Israelitis* loquatur, qui dum in exilio degerent, *Iehovam* colerent? Potest etiam *servus Iehovae* de populo *Israelitico* sumi, de quo saepe: *servus meus Israel*: quod vero propius, quam illud.\* Iam *Aben-Esra* totum caput explicat ex illorum sententia, qui *populum Indaicum* eo describi putant. Sed sub finem Cap. LIII. haec addit: „explicavi igitur tibi totum hoc segmentum. Sed ex mea sententia vates haec verba: ישכיל עברי eodem sensu de se dixit, quo supra XLII, 1. הן עברי אחמך בו; XLIX, 3. ויאמר לי עברי-אחה; quibus cum locis convenit vs. 11. huius Capituli בדעתו יצדיק צדק עברי רבים nec non supra L, 6. נהתי למכים בוי: quae omnia loca se invicem respiciunt.“ Haec doctus *Hebraeus*, quocum nos ipsi inscii consensimus: etenim consignaveram iam eam, quam ipse dedi, illorum locorum interpretationem, cum *Hebraeum* interpretem legebam.

Inter recentiores interpretes Paulus atque Eckermann \*) Viri Venerandi, de *populo Israelitico* totum hunc locum interpretantur, et quidem de ea illius parte, quae Iehovam coleret. Eadem ratione cum plerisque Hebraeorum et Kimchius, cuius explanationem adscribo.

vl. 13.

(הנה ישכיל עבדי) Hoc segmentum agit de exilio Israelis, quem vocat servo suum, quemadmodum supra XLI, 8. Ait, venturum esse tempus, quo servo suo prospere successurae res sint, quo futurum fit, ut exaltetur, et elevetur, et valde fit sublimis. ישכיל, *prosperabitur*, vel, *prosperet*, ut I Sam. XVIII, 14. In eundem sensum et Iona-than vertit. Adhibet vero omnia, quae lingua Hebraica suppeditat, verba, *celfitudinem* indicantia, veluti ירום ונשא ונבה, ut significet, *celfitudinem eius fore excellentem*.

vl. 14.

(כאשר שממו) שממו significat admirationem et stuporem, ut Ezech. III, 15. Obstupuerunt ob maximam, qua depressus erat, humilitatem: et id quidem non immerito, quod vultum eius magis corruptum viderent quam omnium virorum, et formam eius magis quam ceterorum hominum. Quod autem loquatur modo in persona secunda, veluti עריר, *super te*, modo in persona tertia, veluti מראהו וחארר, id est e more Scripturae in compluribus locis, ut saepe monuimus. משחה nomen adiectivum, cum Chirek sub Mem, quemadmodum et מברל Iof. XVI, 9. cum Chirek sub Mem est adiectivum. חארר cum Cholem propter Aleph.

vl. 15.

\*) Hic quidem in: *den Theologischen Beytraegen*, P. I. Fasc. p. 192., ille in loco supra ad Cap. XLIX. excitato.

יטה adhibetur hic in significatione sermonis, ut יטה usurpatur in significatione stillationis et sermonis: nam stillandi notione occurrit Iud. V, 4., *sermocinandi* vero Mich. II, 6. Eodem modo et hic יטה significat sermonem, et est transitivum in tertium; vulgo: *fara parlare di se*. Sensus: quemadmodum obstupescunt propter eius humilitatem, sic admirabuntur postea eius magnitudinem; et semper de ea loquentur.

(עליו יקבצו מלכים פיהם) Etiam regibus videbitur gloria eorum gloria magna, cf. Ief. LXII, 2. קפץ significat *aperitionem*, ut Cant. II, 8. ubi significat aperitionem gradus vel passus in subsaltatione. Sed idem verbum etiam significat *claudere*, ut Deut. XV, 7. Utrouque igitur modo explicari potest nostrum יקבצו, vel ita: aperient os suum ad narrandam eius magnitudinem; vel sic: manum ori imponent prae admiratione.

(כי אשר לא ספר להם ראו) Maiorem intelligent eius magnitudinem, quam ipsis narratum fuit.

## C. LIII. vf. 1.

(מי האמין לשמעחנך) Tunc gentes dicent, quis crediderit ea, quae de illo prophetae praedixerunt? non credidimus id, quod nunc ipsi videmus.

(וזרוע יהרה על מי נגלה) Super quem brachium Domini ita conspicuum est, sicut conspicuum est super hunc?

## vf. 2.

(ויעל כיונק) veluti Hof. XIV, 7. Tanquam radix in terra arida, ex qua ascendat veluti ramulus, cui non est forma neque decor, ita fuit hic. Ex mea autem sententia  
sensus

fensus est hic: nunc ascendit hic ex exilio coram Deo, et ascendit ex exilio per miraculum: veluti si ascendat ramulus e terra arida, vel si reperiatur radix arboris, vel herba germinans in terra sicca, quod quidem est miraculum, ita miraculum fuit ascensus eorum ab exilio.

(לא חאר לו) Quum in exilio esset, nec forma ipsi fuerat, nec decor, nec ornamentum.

(ונראו ולא מראה) Vidimus eum, sed adspexus eius non pulcher erat, sed turpis, ac diversus a ceteris hominibus.

(ונחמדרו) Non desideravimus eum, sed abominatum sumus: particula negativa est repetenda.

### vf. 3.

(כבזה) Non solum non desideravimus eum, sed fuit etiam despectus in oculis nostris.

(וחרל אישים) Abiectissimus hominum fuit: vel dicitur, cessans ab hominibus, quia eius societatem fugerunt.

(איש מכאבה וידוע חל) Dolores et aegritudo indicant angorem exilii. ידוע, *notus*, eo respicit, quod notus et assuetus erat, ut super ipsum transiret iugum exilii.

(וכמסהר פנים ממנו) Abscondimus quasi faciem ab eo, quia prae fastidio respicere eum noluimus.

### vf. 4.

(אכן חליכר הוא נשא) Scribit Ezechiel propheta (c. XVIII, 20): *Filius non portabit peccata patris, et pater non portabit peccata filii; igitur eo minus vir aliquis peccata*  
*Ies. Vat.* R r r cata

cata viri alterius, et gens aliqua peccata gentis alterius: quae quum ita sint, quid sibi vult dicens: *languores nostros ipse tulit*, item vs. sequ. *dolore affectus propter praevaricationes nostras*, item vs. eod. *livore suo nos sanati sumus?* Nonne simile huic est id, quod Ieremias dicit Thren. V, 7. *Patres nostri peccaverunt, et non sunt, et nos peccata eorum portamus?* Quod intelligendum est iuxta illud Exod. XX, 5. *puniens parentum culpam in filiis*, nimirum si filii eadem committunt, quae parentes, ut ibidem statim addit: *osoribus meis*, quo casu filius fert poenas culpae suae et poenas culpae patris. Id quod dicit Ieremias, est more lamentantium, quorum verba ob moerorem non sunt ponderata et cum iudicio enuntiata: id autem, quod dicebant gentes, *vere languores nostros ipse tulit*, et similia huic, sunt verba ipsarum, non quod Israelitae portaverint culpam gentium, sed ipsae arbitrabuntur hoc ex sua opinione, si tempore salutis videbunt, religionem Israelitarum esse veram, suam vero falsam; dicentque, *mendacium tantum possederunt patres nostri, vanitatemque*, Jerem. XVI, 19. Dicent igitur iuxta suam opinionem, cum haec ita se habeant, quid fuit moeror, quem portaverunt Israelitae in exilio, quandoquidem non fuit ob ipsorum culpam, cum religioni verae essent addicti, nos vero, quibus erat pax, et tranquillitas, et quies, idola coluimus? quae quum ita se habeant, languor et dolor, quem nos pati debebamus, venit super illos, qui redemptionis pretium et expiatio nobis fuerunt. Nos autem reputavimus eum (servum Iehovae), dum erat in exilio, percussus a Deo, et manu Dei afflictus propter suam culpam; nunc vero id evenisse videmus non propter suam culpam, sed propter nostram: unde pergit versu sequ.:

vs. 5.

מחורל est Piel a rad: חרל *dolore affici*, sicut Jerem. VI, 14. XXII, 23. מרכא *attritus*, ut Pl. CXLIII, 3.

פוסית שלומנו עליה (מוסר שלומנו עליה) *Posuit* שלומנו, *perfectio-  
rum*, pro כלנו, *omnium nostrum*, veluti Ierem. XIII, 19.  
גלות שלמה pro גלות שלומים, *migratio perfecta* i. e. univer-  
salis. Quae nobis luendae erant poenae, ille luebat.

לבחברתו (ובחברתו) *livor*, ut Exod. XXI, 25. nisi quod  
illud est dagessatum, hoc autem leve. *Livor* et plaga sunt  
metaphora moeroris exilii. רפא *sanare*, ut Exod. XV, 26.

vl. 6.

Erravimus sicut ovis sine pastore; (כלנו כצאן העינו)  
*posuit* enim בַּצֵּאן cum Patach sub Caph, ut demonstret  
(בַּצֵּאן pro פְּרָצֵאן cum He demonstrativo), ovem illam er-  
rare, cui non est pastor.

Quisque populus respexit ad Deos  
suos; nunc autem videmus, nos omnes errasse, Israelem  
vero rectam viam tenuisse. (איש לדרכו פנינו)

Culpa in illos incurrere  
sistitur. (ויהרהר הפניע בו אח עון כלנו) *Iehova* vero fecit, ut incurreret, quia in-  
matum in eos immisit: עין vero, *delictum*, hic significat *poenam de-*  
*licti*, ut Genes. XV, 16.

vl. 7.

Oppressus est exactionibus pecuniarum, quo  
significatu verbum גנש occurrit 2 Regg. XXIII, 35.  
Deut. XV, 2.

*Afflictus* scil. corpore, *afflictum* corpus  
eius verberibus. (והוא נענה) Et inter haec omnia פיר לא יפתח פיר, *non*  
*aperuit os suum*, h. e. non erat ei facultas clamandi et  
murmurandi contra iniuriam, quam illi intulimus; sed erat

iuster agni, quem ducunt ad iugulandum, qui non aperit os suum, neque clamat: vel sicut ovis quod obmutescit coram tonsoribus. Comparatio cum agno respicit afflictionem corporis et mortem eius, comparatio verò cum ove spoliationem facultatum, quae assimilatur tonsioni velleris. Comparat autem eum cum ove femina ob debilitatem, quia in omnibus speciebus femina est debilior masculo. Sic Israelitae in exilio valde debiles erant. כאלמה habet accentum in ultima, estque praeteritum Niphal.

וירא יפחה פיו) *Nec aperiet os suum* neque ob dolores, neque ob facultates directas.

vi. 8.

רממשפט (מעצר) *Ex oclusione exilii*, ubi erat clausus, et ex iudicio captivitatis; ab omnibus hisce liberatus est.

ואת דורו מי ישוחח) *Quis dicebat vel opinabatur*, futuram generationem eius tam magnam fore. Eodem sensu quo illud Genes. XXI, 7. *Quis loquutus fuisset ad Abrahamum?* ישוחח *loquendi* habet significationem, ut Ps. CXLIII, 5. Est coniugatio Piel radicis quiescentis Ain.

כי ננוד מארץ היים) *Nam abscissus est ex terra viventium*, postquam migravit ex terra sua, quae appellatur terra viventium, ut Ps. CXVI, 9. Potest etiam eo referri, quod in exilio reputatus sit vere quasi abscissus ex terra viventium; quomodo igitur, illi inquirunt, cogitare potuissemus futuram eius magnitudinem talem?

מפשע עמי) *Unusquisque populus dicit*, propter delicta sua, illos haec mala perpeffos esse, non ob ipsorum culpam.

vi. 9.

וירח) *Occidebant eum (servum Dei) in exilio*, quemadmodum occidunt impios ob delicta, quamvis nullum delictum



Quum commisisset, nec dolum loquutus fuisset; occidebant eum, quasi malum perpetrasset, et inter impios eum numerabant. *ויהן et dedit*, eo respicit, quod ipse se morti tradidit; nam illi dimisissent eum, si religionem suam abnegasset, et ad ipsorum religionem transisset; sed tradidit se potius ipse morti, quam fidem abnegaret. Similiter Pf. XLIV, 23. *Propter te quotidie occidimur.*

(ואח עשיר במחיר) Sensus: etiam divitem occidebant propter divitias suas, non ob delicta. Usurpat vero in *במחיר* numerum pluralem, quod non uno suppliciorum genere illos affecerunt; alios enim cremabant, alios trucidabant, alios lapidabant. Verbo, Israelitae tradiderunt se morti unius Dei causa.

vf. 10.

(ו הרה הפץ דכאר החלי) Nos nullam aliam rationem videmus dolorum et malorum, quae in exilio perpessus est, nisi quod ita placuit Iehovae; siquidem tenebat legem eius, quae est lex veritatis, propter quam se ipsum quoque morti tradidit. In *החלי* deest tertia radicalis, Aleph; nam quamvis haec verba plerumque tertiam radicalem habent *He*, ita tamen flectuntur, quasi *Aleph* illa esset.

(אם חשים אשם נפשו) Hoc tantummodo videmus, pro malo, quod toleravit, ipsi rependi bonum, et cum ipse se pro tali tradidisset, qui delictum commisisset (ut ait vf. 9. *cum impiis*), nunc sane videbit numerosam sobolem, cf. Zachar. X, 8. 10. Ezech. XXXVI, 37.

(יארק ימים) Cf. infra LXV, 22. *sicut dies arboris dies populi mei*; et Zachar. VIII, 4.

(וחפץ יהוה בידו יצלה) *Voluntas Iehovae in manu sua prosperabitur*, hinc est, quod in exilio Deus eum atterere voluit, sed in retributionem eiusdem prosperabitur in ipso voluntas Dei, quia eum multiplicabit et multis afficiet beneficiis. — Hucusque sunt verba gentium; dehinc et ulterius sunt verba Dei.

## vf. 11.

(מעמל נפשו יראה ישבע) Pro aerumnis, quas pertulit in exilio erit ipsi retributio, quia *videbit, saturabitur*, i. e. videbit bonum, quo saturabitur.

(ברעהו — לרבים) Servus meus est Israel, ut monuimus initio. Et quod dicit ברעהו, *scientia sua*, id est conferendum cum illo supra C. XI, 9. *quia repleta est terra scientia Iehovae* et Ierem. XXXI, 34. *quia omnes illi me cognoscent*. Servus igitur meus Israel, qui fuit iustus et cognoscens Dominum, iustos reddet scientia sua populos multos, ut scriptum est supra II, 3. *Et ibunt populi multi, et dicent, venite, ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacobi, et docebit nos vias suas.*

(יעונחם הוא יסבל) Ipse iustitia sua portabit peccata gentium, quia per iustitiam eius pax et felicitas etiam gentibus continget.

## vf. 12.

(לכן אחלק לו ברבים) *Multi et fortes sunt Gogus et Magogus, et populi, qui cum eo Hierosolymam venient*, cf. Zachar. XIV, 14. Idque erit אשר הערה למות נפשו; pro eo quod ipse se tradidit morti gentibus in exilio, erit ipsi omnis illa gloria, eruntque illarum divitiae pro divitiis suis, quas abstulerunt ab ipso, et earum vita, pro vita ipsius; peribit enim ibi universus exercitus Gogi et Magogi, ut scriptum est. *הערה effudit animam suam in mortem*, nam verbum habet *effundendi* significationem, ut Genes. XXIV, 20. quamvis ibi diversa est coniugatio.

(ראה פשעים נמנה) Cf. supra vf. I. *יהקן אח רשעים*. קברו.

(יהוא חטא רבים נשא) Recte intelligitur de exilio. Et peccatum multorum est, quod commiserunt in eum gentes, quarum

quarum ipse tulit et toleravit angorem. והוא igitur eadem significatione est sumendum, qua Exod. V, 16.

(ולפשעים יפניע) Attamen precibus intercedebat pro illis, qui iniuria ipsam affecerunt, et orabat Deum, ut propitius intueatur illorum terras, cf. Ierem. XXIX, 7. Verbum פנע in Hiphil significat, *precari, precibus pro aliquo intercedere*, ut Ierem. XXXVI, 25. Iesai. LIX, 16 Potest etiam explicari de tempore redemptionis, ut idem sit sensus, ut supra vs. 11. verborum: *iniquitates eorum ipse portabit.*

Magistri vero nostri haec interpretati sunt de Moise, Magistro nostro, beatæ memoriæ. Verba הערה למות נפשו eo referunt, quod ipse etiam se morti tradiderit, cum Exod. XXX, 32. dixit, *sin minus dele me ex catalogo viventium.* והוא פשעים נמנה, *et inter maleficos numeratus est*, quia numeratus fuit inter illos, qui in deserto mortui sunt. והוא חטא רבים נשא, *et ipse peccatum multorum tulit*, quia expiavit opus vituli: והוא פשעים יפניע *et pro impiis deprecatus est*, quia misericordiam rogavit pro peccatis Israelis.

- Cap. XL. 1. **C**onsolemini, consolemini populum meum, dicit
2. Deus vester. Proloquimini iucunda Hierosolymae: adclamate ei, absolutum esse militiae tempus: nam expiata est iniquitas eius: accepit a manu Iehovae duplum pro omnibus peccatis suis.
  3. *Vox auditur hominis* in deserto clamantis: parate viam Iehovae, dirigite in solitudine viam munitam Deo nostro. Vallis omnis impleatur, omnis mons et collis deprimatur: quod curvum est, fiat rectum, et loca praerupta plana via evadant. Apparebit Iehovae maiestas; omnesque mortales videbunt haec a Iehova dicta esse.
  6. *Vox audita est* dicentis, clama; et *alius*, qui dixit: quid clamabo? Omnes, *ille inquit*, mortales gramen, eorumque decus instar floris agris.
  7. Exarescit gramen, decidit flos spirante in eos vento Iehovae. Sane omnis populus gramen est. Exarescit gramen, decidit flos, dicta vero Dei nostri stabunt in aeternum.
  9. Altum montem adscende, bonarum rerum nuntia, Sion: attolle potenter vocem tuam, bonarum rerum nuntia, Hierosolyma! Tolle vocem, ne timeas, acclama urbibus Iudae: en Deus vester!
  10. En Dominus Iehova potens venit, brachium eius dominabitur! En mercedem secum habet, praemia, quae distribuet, ipsi praeferuntur. Pastoris instar gregem suam pascit, brachio suo *portat* collectos teneros agnos, fovet in sinu, lactentes leniter ducit.
  12. Quis vola manus aquas mensus est, aut coelos spithama aequavit, aut trientali pulverem terrae complexus est? aut ponderavit montes in statera,

et colles bilancibus? Quis direxit spiritum Iehovae, et quis *veluti* consiliarius eius *quidpiam* ipsi patefecit? Cum quo consilium habuit, qui eum erudieit, docueritque viam iuris, instituerit in scientia, et viam prudentiae ei patefecerit? En gentes sunt ei tanquam gutta e fitula; instar pulveris in stateri *ab ipso* reputantur; en terras, ut pulvisculum iacit. Libanus non sufficeret ad accendendum *ignem altaris*, neque pecudes eius fatis essent ad holocaustum. Omnes gentes nihili instar coram eo, immo minus nihilo et re profus inani apud eum aestimantur. Cuiam igitur rei adsimilabitis Deum? quamnam eius imaginem fingetis? Simulacrum sculptile conflat artifex, aurifaber id auro inducit, aut laminas argenteas propterea conflat. Pauperior lignum putredinem non sentiens, eligit, et artificem peritum sibi quaerit, ad statuendum simulacrum sculptile, quod non dimoveatur. Annon scitis? annon audivistis? annon indicatum est vobis ab initio? annon advertistis origines terrae? Infidet Deus globo terrae, cuius incolae sunt ei instar locustarum: extendit coelum instar conopoei, idque expandit, ut tentorium in quo habitat. Redigit principes ad nihilum, et proceres terrae quasi inanitatem reddit. Vix enim plantati, vix sati sunt, vix truncus eorum in terra radices agit: sufflat in eos, et exarescunt; turbo eos tanquam stipulam aufert. Cui igitur me adsimilabitis, et cui aequabor? dicit Venerandum numen. Tollite in sublime oculos vestros, et videte, quis haec creaverit? Quis exercitum eorum per singulos educit? Omnia *sidera* nominibus suis vocat: pro virium suarum multitudine roborisque potentia ne unum quidem deest *suo officio*.

- C. XL. 27. Cur ergo, Iacobe, dicis, cur, *Israele*, inquis :  
 „Abdita est via mea Iehovae, res incae Deum  
 28. meum latent.“ Annon nosti, annon audivisti,  
 Deum sempiternum, Deum creatorem finium  
 terrae non posse fatigari, aut laborare, neque  
 29. sapientiam eius pervestigari? Dat robur fatigato,  
 eique, cui nullae sunt vires, multam firmitatem  
 30. suppeditat. Currunt adolescentes et fatigantur,  
 31. ac iuvenes cespitant: sed qui spem in Iehova ponunt,  
 robur suum renovabunt, alis evolant instar  
 aquilae; current, nec fatigabuntur, cursum peragent,  
 nec lassabuntur.
- C. XLI. 1. Tacete, meque audite, terrae! gentes colligant vires.  
 Accedant, et tunc loquantur: simul ad  
 2. iudicium propinquemus. Quis ex Oriente suscitavit eum,  
 qui semper comitem habet virtutem? Quis tradidit ipsi  
 gentes, regesque eius imperio subiecit? Quis pulveri simile  
 reddidit gladium  
 3. eius, arcumque stipulae vento raptae? Eos persequutus  
 ultra progreditur incolumis, ne ullum quidem itineris  
 vestigium in pedibus eius apparet. Quis haec parat et  
 instruit? Is, qui vocat  
 4. generationes a principio. Ego Iehova, primus idem,  
 et ultimus. Vident hoc terrae et timent, extremae orbis  
 fines contremiscunt, appropinquant et accedunt. Alter  
 alterum adiuvat, alter  
 5. alterum monet, ut bono animo sit. Faber lignarius  
 excitat aurifabrum, qui laevigat malleo, eum, qui incudem  
 tundit. Dicit de ferrumine, bonum est, firmitaque illud  
 (idolum) clavis, ne dimoveatur.  
 6. Tu vero, *Israel*, mi serve, Iacobe dilecte,  
 vos posteri *Abrahami*, amici mei, Tu, quem ab extremis  
 terris eduxi, atque ex earum finibus vocavi, cui dixi,  
 servus meus es tu, elegi  
 7. te, nec te aspernatus sum: ne timeas, nam ego  
 8. tibi

tibi adsum; noli terreri, ego enim Deus tuus sum; te corroboravi, imo tibi etiam auxiliatus sum, teque sustentavi dextra mea robusta. En pudore adficientur atque erubescunt quicumque tibi irati fuerint, ad nihilum redigentur et peribunt, qui tecum contenderint. Quæres eos, nec invenies; qui tecum litigaverint erunt, ut qui non sunt, et qui bellum gesserint tecum, instar nihili: nam ego Iehova, Deus tuus, dextram tuam corroboro, et tibi dico: ne timeas, nam ego te adiuvo. Ne timeas, vermicule Iacob, vos, mortui Israel, auxiliatus tibi sum, ait Iehova, et vindex tuus Deus Venerandus Israelis. En, effeci te instar trahæ et tribulæ novæ, cuspidibus instructæ; triturabis montes, comminues colles, eoque rediges, ut sint instar glumæ. Sparges eos, ventus eos abripiet, turbo disiciet: tu vero exultabis de Iehova, de Israelitarum numine gloriaberis.

Pauperes et egeni quaerunt aquas, sed nulla adest: lingua eorum deficit prae siti; at ego Iehova eos exaudiam, ego, Deus Israelis, eos non deferam. In editis locis aperiam fluvios, atque in mediis campis fontes: desertum convertam in stagnum aquæ, et terram aridam in saquarum fecurigines. In deserto collocabo cedrum, sittam myrtum et oleam; ponam abietes, pinum et buxum simul, ut videant, sciant, et animo reponant atque intelligant, manum Iehovæ hæc fecisse, et numen Venerandum Israelis hoc creasse. Admovete causam vestram, Iehova inquit, adfert argumentsa vestra, dicit rex Iacobi. Ad sint et prænuncient nobis, quæ contingent; prius quam sint, illa indicate, atque animum adtendemus, et sciemus, qualia in posterum sint futura;

- C. XLI. 23.** futura; aut facite, ut ventura audiamus. Praenunciate ventura posthac, atque sciemus Deos vos esse: bonum etiam, et malum facite, diligentiusque inspiciemus, et pariter videbimus.
24. At vos estis minus nihilo, opusque vestrum minus quam nihil: abominandi vos eligunt.
25. Excitavi a Septentrione heroem, et venit ab ortu solis, qui me colit: is calcabit principes instar luti, et instar argillae, quam figulus conculcat.
26. Quis vestrum hoc olim iam annunciavit, ut nobis patefieret, et prius praedixit, ut vere ita evenisse nunc fateri possimus? Verum nemo vestrum praenunciat, nemo vocem edit, nemo sermones
27. vestros audit. Primus ego Sioni acclamo: En
28. illa! Hierosolymis praeconem mittam. Circumspicio et nemo adest: nemo adest, qui consilium
29. det, aut qui interrogatus mihi respondeat. En omnes illi sunt nihili, opera eorum nulla, et confatae eorum statuae ventus et inanitas.
- C. XLII. 1.** En servum meum, quem manu prehendo, electum meum, quo delector, quem spiritu meo instruxi,
2. coram gentibus iudicium pronuntiabit. Non clamabit, non tollet vocem, non foris audietur.
3. Calamum quassatum non franget, neque ellychnium fumans extinguet, ex aequo iudicabit.
4. Non hebescet, neque frangetur, donec ius in terra constituerit, demonstrationem eius nationes praestolantur.
5. Sic dicit Deus Iehova, qui creavit coelos, eosque extendit; qui terram cum progenie sua expandit, animamque dedit populo, qui in ea est,
6. et spiritum iis, qui in ea ambulant: Ego Iehova cuius virtuti est confidendum, vocavi te, manu te adprehendi, te custodiam, constituam te disciplinam gentium, lucem populorum: ut aperias
7. oculos



- oculos caecorum, ut educas e custodia vincitum, e carcere eos, qui sedent in tenebris. Ego Iehova, hoc est nomen meum, gloriam meam alii non concedam, aut laudem meam sculptilibus *Diis*. En, priora contigerunt, nova ego nunc praenuncio, et facio, ut audiatis, antequam orta fuerint. Canite Iehovae canticum novum, laudem eius, vos, fines terrae! vos, qui in mare descenditis, et quidquid illud implet, vos terrae, earumque incolae! Tollant vocem desertum et eius urbes, ac villae, quas habitat Cedar; iubilent incolae rupium, atque e montium cacuminibus vociferentur! Tribuant Iehovae gloriam, et laudem eius terris nuncient! Iehova herois instar progredietur, instar viri militaris ardorem suum excitabit; clamabit, imo vociferabitur, contra hostes suos virtute se muniet.
- Tacui a longo tempore, filii et me continui: sicut parturiens anhelabo, spiritum traham et proflabo simul. Vastabo montes et colles, omnemque eorum herbam exsiccabo: mutabo flumina in terras, et stagna reddam arida. Faciam, ut caeci ambulent per viam, quam non norint, utque incedant per semitas, quas nesciunt: tenebras ante eos convertam in lucem, et prava in recta: haec illis faciam, nec eos deferam. Convertentur retrorsum, pudore suffundentur, qui sculptilibus fidunt, et constatilibus dicunt: vos estis Dei nostri. O surdi, audite, et vos, caeci, adspicite, ut videatis. Quis caecus, nisi servus meus, et surdus, nisi minister meus? Quis ita caecus, ut emtus, quis ita caecus, ut servus Iehovae? Videndo multa, non observasti; cumque apertae tibi fuerint aures, non audivisti. Iehova propter iustitiam suam magna et illustria reddere
- voluit

Cap. XLII.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

- C. XLII. 22. voluit sua effata. Et ille servus suus redditus est in populum spoliatum et direptum, instar vinculo-  
 23. rum iuvenum in carceres abditum sunt, fuerunt  
 praedae; nemo qui eos liberaret a direptione;  
 24. nemo, qui diceret: redde! Quis inter vos auribus  
 hoc excepit, quis animum attendit, et audivit,  
 25. ut in posterum recordaretur? Quis direptioni Ia-  
 cobum, et spoliatis Israelem tradidit? Annon  
 Iehova, in quem peccavimus, in cuius viis ince-  
 dere noluerunt Israelitae, et cuius effatis non au-  
 sculterunt? Is effudit in eum populum ardorem  
 irae suae et vim belli, quod incendio eum cir-  
 cumquaque involvit, sed non intellexit; succen-  
 sivit illi, sed non animum adiecit.

- C. XLIII. 1. Nunc vero sic dicit Iehova creator tuus, o  
 Iacobe, et qui te formavit, o Israel; ne timeas,  
 quia te liberavi, nominatim te vocavi, tu meus  
 2. es. Cum transibis per aquas, tibi adero; nec si  
 fluvios traicias, te submergent; cum ambulabis  
 per ignem, non ambureris, nec flamma incendet  
 3. te, quia ego Iehova, Deus tuus, venerandum  
 Israelis numen, servator tuus, dabo redemptionis  
 4. tuae pretium Aegyptios, Cuschaecos et Sabaeos,  
 loco tuo. Ex quo in pretio faisti apud me, glo-  
 5. riam adeptus es, ego vero te amavi, et loco tuo  
 homines dabo, pro vita tua populos. Ne timeas,  
 nam tibi adero ego, ab oriente filios tuos addu-  
 6. cam, et ab occidente congregabo te. Dicam  
 septentrioni, redde, et meridiei, ne cohibeas (il-  
 7. los). Adduc filios meos a longinquo, et filias  
 8. mess ab extrema terra. Quemvis, qui vocatur  
 de nomine meo, gloriae meae causa creavi, at-  
 9. que etiam perfecti. Educ populum, caecum cui  
 oculi, surdos, qui habent aures. Cogantur om-  
 nes gentes in unum locum, congregentur populi!  
 quis

quis est inter eos, qui id praenunciet, et qui res Cap. XLIII.  
 prius, quam eveniant, ut audiamus faciat? Dent  
 testes suos, iuste se gerant, et quod verum est, di-  
 cant Vos mihi testes estis, ait Iehova, et servus 10.  
 meus, quem elegi, ut scitis, credatisque mihi,  
 et intelligatis, me eum esse, quem dixi, nec ante  
 me formatum esse ullum Deum, nec post me fu-  
 turum. Ego, ego sum Iehova, nec quisquam 11.  
 est praeter me sospitator. Ego praenuncia- 12.  
 vi, et fervavi, feci, ut audiretis, nec ullus apud vos  
 peregrinus Deus: vos testes mihi estis, ait Ieho-  
 va, me esse Deum. Etiam a quo dies est, ego is 13.  
 sum, nec quisquam ullum e manu mea liberat;  
 faciam, quis id rescindet?

Sic dicit Iehova, vindex vester, Venerandum 14.  
 Israelis numen: propter vos mihi Babylonem, ve-  
 ctes omnes deieci, et Chaldaeos in navibus, prop-  
 ter quas sese iactant. Ego sum Iehova, Veneran- 15.  
 dum vestrum numen, creator Israelis, et rex ve-  
 ster. Sic dicit Iehova, qui viam vobis per mare, 16.  
 et semitam per aquas validas concessit. Eduxi  
 currus et equos, copias et militum robur; at illi 17.  
 simul procubuerunt, neque surrexerunt, instar el-  
 lychnii extincti sunt. Sed ne memineritis prio- 18.  
 rum nec antiqua facta ad animum revocetis. Mox  
 ego rem novam faciam, quae nunc orietur, quam 19.  
 nunc intelligatis. Iterum viam in deserto faciam,  
 atque in solitudine flumina emittam. Gloriam 20.  
 meam celebrabunt agrestes ferae, dracones et stru-  
 thiones, quia dedero eis in deserto aquas et flu-  
 mina in solitudine, ut potum populo a me  
 electo praeberem. Populum hunc formavi mi- 21.  
 hi, ut laudes meas narraret. Non invocasti 22.  
 me, Iacobe, sed me aegre tulisti, o Israel. Non  
 adduxisti ad me pecudes holocaustatum tuorum, 23.  
 nec

Cap. XLIII. nec victimis tuis honore me adfecisti; non fecisti tibi molestiam munere farreo, nec laborem tibi creavi in thure offerendo, Non emisisti mihi pecunia calamum odoratum, nec adipe victimarum tuarum me perfudisti; sed mihi molestiam peccatis tuis creasti, meque inique factis fatigasti. Ego, ego is sum, praevaricationes tuas propter me delevi, nec peccatorum tuorum recordabor. Fac ut factorum tuorum recorder, atque una disceptemus; narrato, ut innocens iudiceris. Sed pater tuus primus in me peccavit, atque interpretes tui a me defecerunt; quare principes sacrarii polluam, Iacobumque quasi devotum exscidio et

C. XLIV. 1. Israelem convitiis exponam. Et nunc audi, Iacobe, serve mi, Israel, quem elegi: sic dicit Iehova, qui te fecit, qui te formavit, ex quo matris tuae uterum egressus es, auxilio tibi fuit: ne timeto, mi serve Iacobe, et Iefchurun, quem elegi. Effundam aquam super sitientem et flumina super terram aridam; effundam spiritum meum in posteros tuos, et benignitatem in eos qui a te orientur. Crescent inter herbas, ut salices ad rivus aquae. Hic dicet: ego sum Iehovae, ille vero de nomine Iacobi vocabitur: hic inscribet manui suae: Iehovae: ille nomine Iacobi appellabitur.

6. Sic dicit Iehova, rex Israelis et vindex eius, Iehova Deus exercituum: ego primus, ego idem ultimus, praeter me nullus est Deus. Quis instar mei vocabit, praenunciabit, et ordine mihi dicet, ex quo constitui populum antiquum? quis futura ac ventura praenunciet illis? Ne paveatis neque timeatis: annon iam olim feci, ut audiretis, et praenunciavi vobis? Vos estis testes mei, an sit Deus praeter me: nulla est rupes, nullam novi.

Qui

Qui formant sculptilia quotquot sunt, homines Cap. XLIV.  
 sunt inanes. Quae concupiscunt numina, prodes-  
 se nequeunt, testesque eorum ipsi non vident,  
 nec intelligunt, sed pudore adficientur. Quis 10.  
 formavit Deum, et sculptile conflagavit, ut nullam  
 utilitatem ex eo caperet? En omnes focii eius 11.  
 pudore suffundentur, et artifices ipsi illi sunt ex  
 hominibus. Conveniant quotquot sunt, se sistant!  
 pavebunt et pudescient. Faber ferrarius fabricat 12.  
 securim, opus facit ope prunarum, et malleis for-  
 mat. Laborat brachiis totis viribus, etiam esu-  
 riens, dumque vires eum deficiunt; aquam non  
 bibit, lassatur. Faber lignarius extendit lineam, 13.  
 format illud (lignum) subula, exasciat scalpro,  
 tum circino describit, facitque ad similitudinem  
 hominis quam pulcherrimam, ut in aede maneat.  
 Succidit cedros, vel sumit ilicem aut quercum, et 14.  
 plantat sibi inter arbores sylvae; plantat etiam  
 ornum, cui pluvia incrementum det. Sunt haec 15.  
 ligna homini ad comburendum, sumit ex iis, ut  
 se calefaciat; etiam incendit ea, ut coquat pa-  
 nem; simulque ex iis facit Deum, et se coram eo  
 prosternit; facit sculptilem statuam, eamque adora-  
 rat. Dimidiam partem igne comburit, dimidia 16.  
 altera carnem coctam comedit, aut assat, ut satietur.  
 Imo se calefacit et dicit: hem! me calefeci  
 et flammam vidi. Reliqua materia utitur ad Deum 17.  
 faciendum, et sculptilem statuam, ante quam se  
 incurvat, prosternit, et orat, his verbis: libera  
 me, nam tu es Deus meus. Non norunt, neque 18.  
 intelligunt, *quid agant*; nam obleverunt  
 oculos suos, ne viderent, neve eorum animi in-  
 telligerent. Non ita apud se cogitat, neque utitur 19.  
 ratione sua et prudentis, ut dicat: dimidiam eius  
 ligni partem combustis, coxi etiam in eius prunis  
 panem,

Cap XLIV. panem, affavi carnem et comedi; reliqua vero  
 usus sum ad rem abominandam faciendam, et  
 20. ante truncum ligni me incurvem. En cineris fo-  
 cium! coram quo insipientia delusus se inclinavit.  
 Non prospicit suae saluti, nec dicit: nonne ina-  
 nam laborem perfeci dextra mea?

21. Memor horum esto, Iacobe, et Israel, nam  
 servus meus es tu; formavi te, ut servus mihi es-  
 22. ses: Israel, ne mei oblivisceris. Absterfi instar  
 nebulae praevaricationes tuas, et instar nubis pec-  
 cata tua: revertere ad me, nam te liberavi. Lae-  
 23. tos clamores tollite, o coeli, quia haec fecit Ieho-  
 va, vociferamini loca inferiora terrae: mittite hi-  
 larem vocem montes, et sylvae, et omnes arbo-  
 res, quae in iis sunt: nam liberavit Iehova Iaco-  
 bum, et in Israele gloriosum se exhibet. Sic Ie-  
 24. hova inquit, qui te liberavit, et formavit ab ute-  
 ro: ego Iehova omnia feci, extendi coelos  
 solus, terram firmavi sine adiutore. Irrita  
 25. reddo portenta impostorum, atque hariolos infa-  
 tuo: retrorsum avertō sapientes, et scientiam eo-  
 rum stultam reddo. Praestabo dicta servi mei, et  
 26. effata legatorum meorum perficiam: dicam Hiero-  
 solymis: incoleris; et urbibus Iudae, instaura-  
 bimini, et ruinis eius, vos denuo excitabo. Di-  
 cam profundo, exsiccator; et fluctus tuos arefa-  
 27. ciam. Dicam Cyro: pastor meus! qui quidquid  
 28. voluero, perficiet, qui dicet Hierosolymis: in-  
 staureris; et templo: funderis. Sic dicit Ie-

C. XLV. 1. hova uncto suo, Cyro: cuius apprehendi dex-  
 tram, ut prosternat coram se gentes, lumbos re-  
 gum solvam; aperiam ante ipsum claustra, et por-  
 tae non clausae erunt. Ego tibi praecedam, ut  
 2. tortuosas vias rectas faciam; portas aeneas fran-  
 gam,

gam, atque vectes ferreos concidam. Tradam C. XLV. 3.  
 tibi thesauros in tenebris latentes, et quae in la-  
 tebris occulta sunt, ut cognoscas, me Iehovam,  
 qui te vocavi, esse Deum Israelis. Propter ser- 4.  
 vum meum Iacobum, et Israelem, dilectum  
 meum: nomine tuo te compellavi, cognomine  
 honorando vocavi te, qui me nequaquam nosse.  
 Ego Iehova! praeter me nullus, nullus, inquam, Deus. 5.  
 Accinxi te, cum tibi ignotus essem, ut sciant ab ortu 6.  
 solis et ab occidente, nullum esse praeter me: ego  
 Iehova, praeter me nullus! Produco lucem, et creo 7.  
 tenebras; facio res secundas, et creo malum. Ego  
 Iehova efficio haec omnia.

Stillent coeli ex alto, et nubes defluant ve- 8.  
 ris Iehovae effatis, aperiatur terra, et fructus prod-  
 ceant victoriae, quibuscum simul progerminet ve-  
 ritas. Vae, qui contendit cum fictore suo, te- 9.  
 sta cum ceteris testis terrae! Num dicet lutum  
 figulo suo, quid facis? opus tuum, non sunt ma-  
 nus illi *qui me fingit*. Vae qui dicit patri, 10.  
 quid generas, et eius uxori, quid parturis? Sic 11.  
 Iehova inquit, numen venerandum Israelis, quod  
 et eum formavit: de futuris interrogate me, de  
 filiis meis, et opere manuum mearum percontem-  
 mini. Ego feci terram, et hominem super ea 12.  
 creavi: manus meae coelos extenderunt, et om-  
 nem eorum exercitum esse iussi. Ego, cui est 13.  
 confidendum, excitavi illum, vias omnes eius diri-  
 gam; ille aedificabit civitatem meam, et captivos  
 meos dimittet, idque sine pretio et munere, in-  
 quit Iehova, Deus exercituum. Sic dicit Ie- 14.  
 hova: labor Aegyptiorum, merces Cuschaeorum  
 et Sabaeorum, virorum ingentis staturae, ad te  
 transibunt, tua erunt, te sequentur, in compedi-  
 bus transibunt, coram te procident, teque adora-  
 bunt.

- Cap. XLV. bunt. Sane tantum in te est divinitas, nec ullus  
 15. praeter te Deus. Profecto tu Deus es occultus,  
 16. Deus Israelis, et sospitator eius. Pudore et igno-  
 minia suffundentur omnes, simul abiere cum de-  
 17. decore formatores imaginum. Israel liberatus es  
 per Iehovam salute aeterna, pudore non suffun-  
 demini, nec umquam, per futura secula, igno-  
 18. miniam patiemini. Nam sic dicit Iehova, qui  
 coelum creavit, ille est Deus, qui terram forma-  
 vit et fecit, ille, qui eam stabilivit; nec ut esset  
 19. vacua, sed ut habitaretur, creavit. Ego Iehova,  
 praeter me nullus! Non in latebra locutus sum,  
 aut in locis terrae tenebricosis. Non dixi poste-  
 ris Iacobi frustra, quaerite me. Ego, sum Ieho-  
 va, qui vera loquor, et recta pronuncio. Con-  
 20. gregamini, venite et accedite simul, vos omnes,  
 qui e gentibus evasistis. Stupidi sunt, qui lignea  
 simulachra gestant, atque ad Deum orant, qui  
 21. servare non potest. Accedite, indieate, imo con-  
 sultate invicem: quis hoc olim annuncians, aut  
 praedixit? Nonne ego Iehova, et nullus praeter  
 me Deus. Deus fidus et sospitator, praeter me  
 22. nullus. Ad me respicite, et salvi eritis, vos quot-  
 quot terrae fines incolitis. Nam ego Deus, et  
 23. praeter me nullus. Per me iuravi, exiit ex ore  
 meo veritas, effectum non revocandum. Mihi  
 omnes genua flectent, per me omnis lingua iura-  
 24. bit. Profecto per Iehovam, inquit, virtus mihi  
 et robur: ad eam venient et pudebunt omnes eius  
 25. adversarii. Per Iehovam vindicabuntur et gloria-  
 buntur omnis Israelis posteri. Inclinatorum est Bel,  
 incurvatus est Nebo, sunt eorum simulachra be-  
 stiis et iumentis imposita; gestamina vestra oneri  
 2. lasso iumento. Curvati sunt, inclinati sunt om-  
 nes, nec potuerunt suum onus servare, et ipsi in-  
 capti-



captivitatem abierunt. Audite me, domus Iacob, et omnes reliqui domus Israelis, quos ego gestavi ab utero, et ab incunabulis portavi. Etiam ad senectam usque et ad canitiem ego vos baiulabo, quod hucusque feci, et in posterum quoque vos portabo, et baiulabo et servabo. C. XLVI. 3. 4.

Cuinam me assimilabitis, aut adaequabitis? cui me comparabitis, cuique similis dicar? Profundant aurum e crumena, et argentum statera appendunt, mercede conducunt aurifabrum, qui Deum faciat, procidunt eumque adorant. Portant eum humeris, baiulant et ponunt suo loco, ubi persistit, e loco suo non recedit. Tum clamat ad eum, qui ipsum colit, sed nec ille exaudit, aut ex angustiis liberat. 5. 6. 7.

Recordamini horum, et pudore suffundemini, reputate haec, apud vos, qui a me defecistis. Recordamini rerum antiquiorum inde a longo tempore, neque esse Deum, neque ullum praetera Deum, neque quemquam mei instar. Diu ante annuncio quae futura sunt, et longe prius quae nondum sunt patrata; consilium meum ratum erit, et quidquid voluero, perficiam. Voco ab Oriente avem rapacem, e terra remota virum, de quo consilium cepi. Dixi, atque rem adducam, proposui mihi hoc, atque perficiam. 8. 9. 10. 11.

Audite me, obfirmati animo, atque a recta via remoti. Appropinquat mea veritas, nec procul recedet, nec salus mea morabitur. Ponam in Sione felicitatem, et in Israele gloriam meam. Descende, et humi sede virgo filia Babel, in terra sede, non super throno, filia Chaldaeorum, neque enim posthac te teneram et delicatam amplius vocabunt. Sume molam, et mole farinam, C. XLVII. 1. 2.

Cap. XLVII. retege comam tuam, denuda caesariem, retege

3. crus, et traice flumina. Retegentur verenda tua, conspicientur obscœna tua; ultionem sumam, nec ut homo in te incurram. O vindicatorem nostrum! Jehova, exercituum Deus, nomen eius est, venerandus Israelis. Sede tacita, ingredi tenebras filia Chaldaeorum, nam non amplius regnorum dominam te vocabunt. Iratus fui populo meo, aliorum libidini permisi meam hereditatem, tradidi eos in manum tuam: sed non exhibuisti illis misericordiam, senibus adeo durissimum iugum tuum imposuisti. In perpetuum, inquebas, domina ero! usque adeo, ut ad haec animum numquam adverteres, neque postremum tempus cogiteres. Nunc vero audi hoc, o voluptuosa, quae habitas secure, quae dicis in animo tuo: ego sum, et praeter me nulla est amplius; non sedebo vidua, et orbitatem non experiar. Contingent tibi duo haec subito et die uno, orbitas et viduitas: plene tibi evenient multitudine maleficiorum tuorum, frequentia incantatorum tuorum maxima. Fidebas nequitiae tuae, et dicebas: nemo me videt. Sapientia tua et scientia tua te contumacem faciebat: dicebas apud te: ego sum, et praeter me nulla. Infortunium tibi superveniet, cuius non videbis auroram, calamitas in te incidet, quam nullis poteris piaculis averruncare: veniet in te repente destructio, quam non opinaberis. Ito nunc cum incantamentis tuis, cumque multitudine maleficiorum tuorum, in quibus inde a iuventute tua laborasti: fortasse tibi possunt proficere, fortasse (iis) obtinebis. Laborasti usque ad fatigationem artium tuarum multitudine: adsint, quaeso, et servent te astrologi, stellarum observatores, mensium explanatores, ab

iis quae tibi supervenient. En illos stipulae in- C.XLVII. 14  
 star, quos ignis comburit, non possunt liberare se  
 ipsos ex flamma: nulla superest pruna ad calefa-  
 ciendum se, nec flamma, cui quisquam adsideat.  
 Tales erunt tibi, quibus laborasti inde a iuventute, 15.  
 incantatores tui, pro se quisque erravit, nul-  
 lus ex iis qui te liberet. Audite hoc, domus C.XLVIII. 1  
 Jacobi, qui vocamini de nomine Israelis, qui exi-  
 stis ex aquis Iudae, qui iuratis per nomen Ieho-  
 vae, et Deum Israelis profiteremini, sed non vere  
 nec sinceritate. Ex urbe sancta nomen ducunt, 2.  
 Deoque Israelis innituntur, cui Iehovae, Dei ex-  
 ercitiuum, nomen est. Priora iam antea prae- 3.  
 nunciavi, ex ore meo prodierunt, atque illico au-  
 diri ea curavi. Subito perfeci illa, et contige-  
 runt. Cum scirem, te esse durum, cervicem 4.  
 tuam esse nervum ferreum, et frontem tuam esse  
 aeneam; praesignificavi tibi futura longe antea, 5.  
 atque antequam contingerent, te audire illa curavi,  
 ne diceres: idolum meum fecit illa, sculptile  
 meum et conflatile meum ea mandavit. Quae 6.  
 audivisti, impleta omnia vide, nonne hoc vobis  
 ipsis fatendum est? Nova nunc a me audis, sed  
 alia recondita, quae ignoratis. Nunc demum 7.  
 vero progrediuntur, non prius, nec antea ea au-  
 diveras, ne diceres: en, novi ea. Neque ea au- 8.  
 diveras, neque cognoveras, ab eo tempore aperta  
 auris tua non fuerat; quia sciebam, te perfidum  
 fore, atque ab utero defectorem te esse vocatum.  
 Propter nomen meum iram meam continui, et 9.  
 propter gloriam meam cohibui me, ne plane te  
 perderem. Purgavi te, sed non argenti instar, et 10.  
 probavi te in catino miseriae. Mea causa, mea causa 11.  
 hoc facio: cur enim profanari nomen meum permit-  
 terem? Gloriam meam alii non concedam.

- CXLVIII. 12. Audi me, Iacobe, et Israel, quem nomine (hoc) vocavi! ego idem sum prius atque etiam
13. uttimus. Manus quoque mea fundavit terram, dextra mea expandit coelum; cum ego illa voco,
14. adsunt. Convenite omnes, et audite, quis per illa haec nuntiavit? Illi Iehova favet, suam in Babylonios voluntatem exequetur, suamque in Chaldaeis virtutem exeret. Ego, ego haec dixi.
15. Evocabo, adducam eum, et prosperos successus
16. largiar. Accedite ad me, audite hoc: ab initio non sum clam loquutus, ab eo tempore, quo illa exitum suum habuerunt, huc verso: et nunc Dominus Iehova et spiritus eius misit me. Sic dicit Iehova, vindex tuus, venerandum Israelitarum numen. Ego sum Iehova, Deus tuus, qui te doceo, ut tibi profim, qui viam tibi ostendo, qua
18. incedere debes. Utinam attendisses mea praecepta! res tuae secundae fuissent instar fluminis, atque fidei tuae praemia instar fluctuum maris.
19. Fuisset posteritas tua instar arenae, et orti e visceribus tuis ut illius lapilli: non excinderetur illa, neque e conspectu meo deleteretur. Egredimini Babylone, fugite a Chaldaeis, voce iubila edicite, proclamate hoc, date operam ut audiatur, proferte hoc ad fines usque terrae; dicite: servum suum Iacobum liberavit Iehova! Non sicut, per deserta ducit ipse illos, facit, ut aqua
21. eis defluat e rupe. Nulla vero felicitas, inquit
22. C. XLIX. 1. Iehova, impiis. Audite me terrae, attendite, gentes remotae! Ab utero materno Iehova me vocavit, ex quo visceribus matris meae egressus
2. sum, nomen meum memoravit. Os meum simile fecit gladio acuto, sub umbram manus suae me abdidit, ad instar sagittae cuspidatae me fecit,
3. in pharetra sua me abscondidit. Dixit mihi, servus

vus meus tu es: in te, Israel, gloriabor. Ego C. XLIX. 4.  
 vero, frustra, inquam, laboravi, incassum et in-  
 niter vires meas absumsi; at enim vero merces  
 mihi est apud Iehovam, et operae meae pretium  
 apud Deum meum (repositum). Iam vero Iehova 5.  
 dixit, qui formavit me ab utero, ut minister  
 ipsi essem, ut reducerem Iacobum ad ipsum, at-  
 que Israel ipsi congregetur (magni enim a Iehova  
 aestimatus sum, et Deus meus mihi vires conce-  
 dit). Hic, *inquam*, mihi dixit: parum est, ut mi- 6.  
 hi servias ad restituenda Iacobi stemmata, et fur-  
 culos Israelis restaurandos; sed constitui quoque  
 te, ut sis lux gentium, atque ut salus mea ad fi-  
 nes terrae pertingat. Sic alloquitur Iehova, 7.  
 redemptor Israelitarum, eorum Deus spretum om-  
 nibus, contemptum genti, servum dominantium:  
 reges videbunt et surgent, et adorabunt, propter  
 Iehovam, cui fidendum, propter venerandum  
 Israelitarum numen, quod tibi favet.

Sic dicit Iehova: tempore opportuno te ex- 8.  
 audivi, atque tempore salutari te iuvavi. Servabo  
 te, teque dabo populo testem promissorum meo-  
 rum, me restauraturum terram, et illi iterum pos-  
 sidendum traditurum fundum hereditarium deso-  
 latum. Dicendo vinctis: exite, et qui tenebris 9.  
 inclusi sunt: exite: iuxta vias pascunt, et in om-  
 nibus collibus pascua habebunt. Non esurient, 10.  
 non sitient, non aestu solis afficientur. Nam qui  
 eorum misertus est, eos praecedet, atque ad aqua-  
 rum scaturigines ducet. Montes pervios reddam, 11.  
 femitasque sublimes. En, alii ab Oriente, alii a 12.  
 septentrione et occidente, alii e regione Sinnim  
 venient. Canta coelum! exulta terra! laetis cla- 13.  
 moribus resonate montes! Iehova enim populum  
 suum consolatur, et afflictorum miseretur!

- C.XLIX. 14 Tu, Zion, dicis: „deseruit me Iehova; Do-
15. minus mei oblitus est.“ Num mater obliviscitur sui infantis? immisericors in filium, quem in utero gestavit? Etiam si illa obliviscatur, nec ta-
16. men ego te negligam. En, te in palmis meis delineavi, muri tui perpetuo ob oculos mihi ver-
17. santur. Approperant, qui te restaurent, qui te destruxerunt et everterunt, a te removentur. At-
- tolle oculos tuos, et circumspice, illi omnes congregati ad te veniunt: per vitam meam iuro, inquit Iehova, his omnibus tanquam ornamento vestieris, et ut sponsa amiceris. Vastata illa loca et deserta terrae tuae destructae, angustiora erunt, quam ut incolas capiant, remotis omnibus adversariis tuis. Fiet aliquando, ut tibi dicent, filii in orbitate tua tibi nati: hic quidem locus angustior nobis est, cede nobis amplio-rem, quam habitamus. Tum tu ipsa mirabunda, unde mihi, in-
20. quies, hi nati sunt, cum orba essem et sterilis? cum captiva essem et exul, quis hos mihi educavit? Cum sola ego superstes fuerim, unde mihi isti?
21. Haec dicit dominus Iehova: en! nutum gentibus dabo manu mea, et nationibus signum dabo; et afferent filios tuos in brachiis, filiasque
22. tuas in humeris gestabunt. Reges erunt nutritores tui, et feminae principes tuae nutrices, humi supplices te venerabuntur, et pulverem ad pedes tuos lambent. Tum intelliges, me Iehovam esse, quo qui confidunt non embescunt.
23. Num eripietur heroi praeda? num quos fortis (bellator) captivos fecit, evadent? Immo vero, respondet Iehova, captivi bellatori eripientur, et praeda heroi auferetur: ego contendam cum
24. adversariis tuis, filiosque tuos servabo. Qui te oppres-

oppreſſerunt, ſemet ipſos conſument, ſuoque ſan- Cap. XLIX.  
 guine, tanquam vino inebriabuntur, ita ut om-  
 nes mortales intelligant me Iehovam eſſe, tui ſer-  
 vatoreſ, et potentem redemptorem Iacobitarum!  
 Haec dicit Iehova: ubi eſt ille repudii libellus, Cap. L. 1.  
 quo matrem veſtram dimiſi? aut quis creditorum  
 meorum eſt, cui vos vendidi? En, propter pec-  
 cata veſtra venditi eſtis, propter delicta veſtra ma-  
 ter veſtra dimiſſa eſt. Quare veni et nemo aedeſt; 2.  
 clamavi, et nemo reſpondet? Num manus mea  
 non ſatis valida eſt ad vindicandum? Num viri-  
 bus non ſatis inſtructus ſum ad ſervandum? En  
 minis meis mare poſſum exſiccare, flumina in lo-  
 ca arida convertere, ut piſces ob aquae defeſtum 3.  
 pereant, et ſiti moriantur? Coelum tenebris in- 4.  
 volvo, et tanquam centone induo. Dominus  
 Iehova linguam ſacundam mihi dedit, ut tempe-  
 ſtively loqui poſſim cum afflicto. Quotidie me ex-  
 citat. ut aurem praebeam, et diſcipuli inſtar ad eum  
 adtendam. Dominus Iehova aurem mihi aperuit, 5.  
 nec ego contumax reculavi. Tergum praebeo per- 6.  
 cutientibus, genas vellicantibus, faciem ignomi-  
 niae et ſputo non ſubtraho. Etenim dominus Ie- 7.  
 hova auxilium mihi praeftat, propterea ſpe mea  
 non excidam. Ideo quoque faciem habeo quaſi  
 lapideam, novi enim non irritam futuram eſſe  
 ſpem meam. Adeſt qui me abſolvat, quis mecum 8.  
 contendat? congregiamur. Quis me in ius vo-  
 cet? accedat. En dominus Iehova mihi opitula- 9.  
 tur, quis me damnabit? En iſti omnes tanquam  
 veſtis abſumentur, tanquam a tineis arroſi. Qui- 10.  
 cunque veſtrum Iehovae reverens eſt, et miniſtro  
 eius obtemperans, is in tenebris verſans et lucis  
 expers Iehovae confidet, Deoque ſuo innitatur.  
 En vos omnes ignem accenditis, cingitis vos mal- 11.  
 leolis.

- Cap. L. leolis. Ambulate in lumine ignis vestri, et in  
 flammis, quas succendistis. A manu mea hoc  
 Cap. LI. 1. vobis accidit, in dolore cubabitis. Audite, pie-  
 tatis amantes, Iehovae studiosi intuemini rupem,  
 2. ex qua excisi, et foveam, ea qua effossi estis. In-  
 tuemini Abrahamum patrem vestrum, et Saram  
 matrem vestram. Solus erat, cum eum vocarem,  
 3. sed larga sobole eum auxi. Sic quoque Iehova  
 Sionem consolabitur, eiusque loca vastata restau-  
 rabit, mutabit deserta in paradisum et inculta in  
 hortos amoenissimos, in quibus omnia summo  
 gaudio resonent, gratiarum actio, et laeta cantica  
 4. audiantur. Audite, o mei, attende mi popule,  
 decretum a me exiit, meumque iudicium genti-  
 5. bus collustrandis inserviet. Propinqua est mea  
 benignitas, salus, quam praestabo, iam sese offen-  
 dit. Potentia mea gentes iudicabit. Exterae  
 gentes me exspectabunt, meamque potentiam re-  
 6. verebuntur. Attollite coelum versus oculos ve-  
 stros, adspicite terram. Illud quidem ut fumus  
 evanesceat, haec ut vestis veterascet, eiusque inco-  
 lae similiter interibunt: sed salus mea in aeter-  
 num durabit, meaque benignitas non mutabi-  
 7. tur. Audite vos, qui verae pietatis studiosi  
 estis, quorum mentibus praecepta mea impressa  
 sunt, nolite timere hominum opprobrium, nec  
 8. nimium moveri propter eorum convicia. Consu-  
 mentur, ut tineae vestem, aut ut blattae lanam  
 corrodunt: mea vero benignitas erit perpetua, et  
 salus mea per omnes generationes durabit.
9. Heu! heu! exere robur tuum, o brachium  
 Iehovae! heu! ut olim antiquissimis temporibus.  
 Nonne tu illud es, quod concidit Aegyptum,  
 10. quod lethaliter confossit crocodilum? Nonne tu  
 illud es, quod mare exsiccavit, aquas vasti pelagi,  
 quod



quod in fundo maris viam instruxit, qua liberati Cap. LI.  
 transirent? Immo vero liberati a Iehova revertentur, 11.  
 Sionem intrabunt ovantes, lætitia perpetua  
 circumfusi, ingenti lætitia fruuntur, omni labore  
 et gemitu longe remoto. Ego, ego is sum, 12.  
 qui vos consolatur; quid est, quod vobis timeatis  
 ab hominibus mortalibus, ab hominibus, qui  
 eandem cum gramine sortem habent? Quid im- 13.  
 memores estis Iehovæ, creatoris vestri, qui coe-  
 lum extendit, et terram fundavit, quid ita conti-  
 nuo timetis furorem tyranni, quando perditionem  
 parat? ubi est furor ille tyranni? Mox vinciti car- 14.  
 cere solventur, non morientur in fovea, nec victu  
 necessario destituentur. Ego sum Iehova Deus 15.  
 vester, qui mare commoveo, ut fluctus eius stre-  
 pant, Iehova sum omnipotens. Te promissionum 16.  
 mearum interpretem constitui, curam gessi tui  
 singularem, ut coelum a me instruendum, ter-  
 ramque fundandam denuo prædicas, ut Sionitis  
 acclames, populum esse mihi earum.

Expergiscere, expergiscere, Hierosolyma, 17.  
 quæ e manu Iehovæ bibendum accepisti calicem  
 iræ, quem calicem spumantem (redimitum) ex-  
 hausisti. Nullus adest ex tot, quos peperit na- 18.  
 tis, qui leniter eam ducat, nullus adest ex tot,  
 quos educavit filiis, qui manu eamprehendat.  
 Duo hæc tibi contigerunt (quis dolere se propter 19.  
 hæc tibi significavit?): vastatio, destructio, fa-  
 mes, gladius, quis te consoletur? Nati tui ani- 20.  
 mo delinquentes vicatim iacent, ut bubalus irri-  
 titus, prostrati ab ira Iehovæ, ab increpatione  
 Dei tui. Iam vero audi, o afflictæ, ebriæ, at non 21.  
 vino.

Hæc dicit dominus tuus: Iehova Deus tuus 22.  
 causam aget populi sui. En! capturus sum e  
 manu

- Cap. LI. manu tua calicem inebriantem spumantem, calicem furoris, non amplius ex eo bibes. Tradam eum illis qui te affligunt, qui iubent, ut te submittas, quo transeant, ut tergum tuum praebeas,
23. veluti humus, aut platea viatoribus. Heu, heu, indue mundum tuum, o Sion, indue vestes ornatas, Hierosolyma, urbs sancta. Non amplius ad te ingrediatur praeputiatum aut impurus. Excute pulverem, surge, sede Hierosolyma, solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Haec enim dicit Iehova: gratis venditi estis, absque pretio redimemini. Nam haec dicit dominus Iehova: primum in Aegyptum profectus est meus populus, ut ibi degeret; tum Assyrii impune eum oppresferunt. Iam igitur quid moror, inquit Iehova, cum populus meus gratis abactus sit, heri eius superbiant, et ipse ego continuo afficiar contumeliis? Profecto cognoscat meus populus, qualis sim. Profecto iam quidem intelliget, me Deum esse, qui loquatur: En adsum! O gratum nuntium, per regiones illas montanas adventantem, pacem, bona nova, salutem annunciantem, dicentem Sioni: regnat Deus tuus. Speculatores tui sublata voce omnes ovabunt, quando ipsi suis oculis videbunt Iehovam reducere Sionem. In laetos clamores erumpite, vastata Hierosolymae loca. Solatus est Iehova populum suum, liberavit Hierosolymam. Exseruit Iehova potentiam suam varendam spectantibus nationibus omnibus. Extremae quoque terrarum orbis regiones audient de salute Dei nostri.
11. Discedite, discedite, migrate hinc, immundum ne tangite, separate vos ab istis, purgate vos, qui vasa Iehovae sacra portatis. Non enim festinanter emigrabitis, aut fuga evadetis, sed Iehova

vos praecedet et agmen vestrum claudet Deus Cap. LII,  
 Israelitarum. En legatum meum ministerio 13.  
 suo feliciter perfunctum! Extolletur, magnam-  
 que consequetur gloriam \*). Quemadmodum 14.  
 eius adspectu indignabundi obstupuerunt multi  
 (tanta enim erat faciei omnisque habitus externi  
 deformitas, quanta vix ullius alius hominis); ita 15.  
 olim aliquando sacro errore percellet gentes  
 permultas. Venerabundi coram eo obstupescunt  
 reges: videbunt enim sibi indicta, cognoscent in-  
 audita. Quis fidem adhibet sermoni nostro? Cap. LIII. 1.  
 quis potentia Iehovae convincitur? Ille quidem 2.  
 non sine numine succrescit instar furculi, stirpis  
 instar e terra siticulosa propullulantis. Nulla in  
 eo conspicua erat formae pulchritudo, quae ocu-  
 los alliceret, decor nullus, qui eius amorem in-  
 iiceret. Contemptus ille erat, ab omnibus repu- 3.  
 diatus, doloribus oppressus, plagis insigniter  
 notatus, sicuti rem, a qua faciem avertunt, ita  
 cum fastidio eum sprevimus, nihilque reputavi-  
 mus. Ast ille pertulit plagas nobis inferendas, 4.  
 dolores nobis sentiendos ille sustinuit. Nos qui-  
 dem divinitus eum caesum, percussum, afflictum  
 existimavimus. Sed ille propterea scelera nostra 5.  
 vulneratus, nostra ob crimina contritus est: poe-  
 nam ille subiit nobis salutarem. Per vulnera ei  
 inflicta incolumitas nobis restaurata est. Nos 6.  
 omnes gregis instar oberrantes suam quisque se-  
 quebamur vitae rationem. Iehova vero poenas  
 nobis omnibus perferendas in hunc unum inci-  
 dere iussit. Saeviter tractatus ille atque afflictus 7.  
 os non aperuit, similis ovi, quae ad lanienam abdu-  
 citur,

\*) Retinui in hac sectione plerumque *Martinii*, V. S. V. versionem.

- Cap. LIII. citur, similis agnae, quae sub manu tonforis obmutescit, os non aperuit. Cruciatibus et acerbis fatis confectus animam efflavit; hominum eius aetatis quis fuit, qui ad animum revocaret, e vivis eum sublatum esse propter delicta populi mei, qui plaris erat coercendus. Quin etiam sepulchrum ei assignarunt cum scelestis; tumulum sepulchralem iuxta facinorosos, quanquam ille vim nemini intulerat, a fraude doloque alienus. Sed ita placuit Iehovae, lethali illum vulnere affigere. Quodsi tanquam piaculum se interposuerit, larga posteritate fruetur, longamque explebit annorum seriem: Iehovae enim mandata felicissime exsequutus est. Exantlatis laboribus et aerumnis pietatis suae amplissimos fructus percipiet. Beabit ipse beatus minister meus multos; quae enim ab iis repetendae erant peccatorum poenas ille pertulit. Itaque potentes ut sortem ei assignabo; ipse validos tanquam praedam distribuet. Vitam enim profudit scelestis additus, multorumque peccata sustulit, et pro fontibus intercessit.

- Cap. LIV. 1. Canta sterilis, quae non peperit, erumpe in laetos clamores et exclama, quae non est enixa. Plures enim fore natoa desertae quam maritae,
2. Iehova promittit. Dilata locum tentorii tui, aulaea tabernaculorum tuorum extende quantum potes,
3. funes producens et palos obfirmans. Nam ad dextram et sinistram propsgaberis. Tua progenies aliarum gentium sedes occupabit, urbesque desolatae restaurabit. Noli timere, nam non pudescies; noli erubescere, nam non confunderis: Adolescentiae tuae ignominiosae oblita, viduitatis tuae probrosae non amplius recordaberis.
5. Nam maritus tuus est creator tuus, Iehova omnipotens, et redemptor tuus Israelitarum numen,
- to.

totius huius universi Deus. Ut mulierem deser- C. LIV. 6.  
 tam et contristatam te Iehova revocat, ut ductam  
 in iuventute sed repudiatam, inquit Deus tuus.  
 Ad breve quidem tempus te deserueram, sed 7.  
 magna cum misericordia te recipiam. Severius 8.  
 quidem memet tibi subtraxi ad tempus, benigni-  
 tate vero in aeternum duratura tui miserebor,  
 inquit redemptor tuus Iehova. Nam idem hic 9.  
 ego, quod in Noanis aquis, quum quidem iu-  
 ravi, non amplius pervasuras terram aquas noa-  
 nas: ita nunc iuro, numquam me tibi iratum,  
 aut severius in te esse animadversurum. Montes 10.  
 moveantur, colles nutent, gratia vero erga te mea  
 erit immota, et promissio felicitatis tuae non nu-  
 tabit, inquit qui tui misertus est Iehova. O 11.  
 afflicta! vexata! destituta solatio! en ego struam  
 lapides tuos in crusta rubra splendescente, et su-  
 per sapphiro te fundabo. Murorum tuorum pin- 12.  
 nae erunt e iaspide, portae ex rubinis, totusque  
 ambitus tuus lapidibus pretiosis cinctus. Filii 13.  
 tui a me erunt edocli, et alta pace fruuntur.  
 Iustitia stabilieris, procul aberit oppressio tibi non 14.  
 metuenda, et terror ad te non appropinquabit.  
 Qui te aggredi conabitur, eum prohibebo; qui 15.  
 ex tuis te infestabit, ille cadet. Quum ego fa- 16.  
 brum creaverim, qui fiat in igne carbones, et  
 artis suae telum proculdit, et idem ego perditorem 17.  
 creaverim ad exitium; omne telum contra te  
 usum, erit infortunatum, omnemque linguam,  
 quae contra te ad disceptandum surrexerit, con-  
 demnabis. Haec erit fors cultorum meorum, et  
 quam eis praestabo defensio, inquit Iehova.

Heu, quicumque sititis, venite ad aquam, Cap. LV. a  
 et qui pecunia caretis, venite, emite et edite,  
 venite, emite, nulla pecunia, aut pretio so-

- Cap. LV. 2. Iuto, vinum et lac. Cur pecuniam impenditis rebus, quae non alunt? cur quaestum vestrum infumitis iis, quae non satietatem praestant? Mihi obtemperate, fruimini bonis, et rebus praestantissimis vosmet oblectate.
3. Aures praebete, venite ad me, audite, et felices eritis: praestabo vobis bona in aeternum duratura, beneficia Davidi servanda. En, hunc ego constituo doctorem gentium, ducem, qui nationes instruat. Gentes ei dicavi, vocabis tibi ignotas, et gentes quae te non norunt, ad te properabunt propter Iovam Deum tuum, propter
  6. numen Israelitarum, qui te ornat. Quaerite Iovam dum invenitur, invocate eum, dum adest.
  7. Impius deferat suam vivendi rationem, et malus aliter cogitare incipiat. Redeat ad Iovam, qui eius misereatur, ad Deum nostrum, cuius magna est indulgentia. Non enim eadem mea quae vestra sunt consilia, nec mea convenit cum vestra
  9. agendi ratio, inquit Iehova. Quantum enim coelum a terra distat, tantum mea agendi ratio a vestra, meaque consilia a vestris discrepant.
  10. Quemadmodum autem pluvia et nix coelitus delapsa eo non revertitur, quin terram imbuat et foecundet, et germina producat, ita ut semen edat agricolae, et alimenta praebeat esurienti:
  11. sic dictum a me prolatum non irritum erit. Sed fiet, quod decrevi, et prospere succedent, quae iussi. Laeti enim emigrabitis, et salvi deducemini. Montes et colles vestra causa gaudebunt, et arbores sylvestres edent fragorem. Pro spina abietes, pro paliuro myrthus crescent, id quod Iehovae nomen monumentumque conciliabit
  - C. LVI. 1. numquam interitum. Sic dicit Iehova: operam date iustitiae atque aequitati. Proxime enim ventu-

venturum est meum auxilium, meaque benignitas se se manifestabit. O beatum hominem, qui hoc fecerit, et qui hoc tenuerit, ut sibi caveat a sabbati profanatione, et diligenter abstineat ab omni malo. Ne putet alienigena, qui Iehovae se adiunxerit, se non pertinere ad eius populum, nec eunuchus, se arborem esse aridam. Nam haec dicit Iehova de eunuchis, qui sabbata mea servant, qui libenter meae voluntati obtemperant, legesque meas tenent: concedam eis in templo meo et eius atriis locum, immo dignitatem multae soboli praeferendam, perpetuam, non interituram. Peregrinos autem quod adinet, qui se ministerio meo addicunt, qui me amant et colunt, a profanatione sabbati se abstinent, et praecepta mea observant. Hos ego ducam in montem meum sanctum, et in aede mea laetitia afficiam, holocausta et sacrificia eorum mihi grata erunt. Nam aedes mea precibus destinata omnibus gentibus patebit. Hoc dicit dominus Iehova, qui dispersos Israelitas congregat: plures adhuc congregatis addam, omnes feras agrestes. Venite ad comedendum omnes ferae silvestres.

Speculatores eorum omnes coeci sunt, rudes, omnes canes muti, qui non latrant, delirantes, ignavi, somno indulgentes. Immo canes sunt voracissimi, insatiabiles. Pastores sunt imprudentes, suis tantum rebus intenti, quaestui dediti, ad unum omnes. Venite, inquit, vinum afferam, et compotabimus, ut crastinus dies huic erit simillimus, magis adhuc festivus. Pius moritur et nemo hoc curat, et viri boni auferuntur et nemo attendit. Sic calamitati pius praeripitur, fruitur pace, quiescit in cubili suo, qui integre vixit. Iam vos, adeste huc, filii prae-

- C. LVII. 4. stigmatricis, posteri adulterae et meretricis. In quo vosmet oblectatis? quem diducto ore irridetis? nonne vos inde ab ortu vestro pessimi fuistis
5. et mendaces? Incalescitis in idola sub quacunque arbore viridi, mactatis filios vestros ad flumina
  6. in petrarum cavernis. Intra rivos inprimis occupati estis, hi omnem curam vestram habent, his libamina funditis, oblationes facitis, Et haec
  7. impune ferrem? In montibus altis et elatis stratum tuum posuisti, ibique sacrificasti. Post ianuam et postem collocasti simulacra tua, quin immo me relicto te sponte obtulisti pluribus adulteris, foedus cum iis pepigisti, eorum concubitu
  9. quavis occasione delectata es. Regi oleum et unguenta complura offers, mitis legatos tuos in
  10. remotas terras, et humi te supplex abiicis. Et quanquam in his tot tuis consiliis curandis multas experiris molestias, tamen res tuas pessimas esse non fateris. Invenisti vitam tuam, propterea
  11. non sentis morbum tuum. Quem igitur times? quem formidas? sed mentiris. Mei profus immemor es, nihil curas, ego quidem inde a longo tempore iram meam contineo, sed me non times.
  12. Iam vero patefaciam istam probitatem tuam et
  13. opera tua. Nullam ex eis habebis utilitatem. Non te servare poterunt copiae tuae collectae, si auxilium (eorum) imploras, quas omnes ventus leviculus sublatus auferet. Sed qui mihi confisus fuerit, patriam suam inhabitabit, montemque mihi sacrum frequentabit. Iubebo enim, ut viae sternantur et parentur; ut removeantur omnia, in quibus populus meus offendere posset.
  14. Immo haec promittit altus, excelsus, aeternus, sanctus: Ego quidem locum sublimem et sanctum inhabito, sed adsum etiam afflictis et humilibus,
- ad



ad eos recreandos animosque eorum attritos re-  
 ficiendos. Etenim non semper contendere aut  
 perpetuo indignari soleo, alias spiritus (hominis)  
 opprimeretur, mentesque mortalium extingue-  
 rentur. Propter turpissimam eius (populi) avari-  
 tiam iratus fui, atque subtrahata gratia mea in eum  
 severe animadverti, suam enim tantam perversam  
 agendi rationem sequebatur. Sed quan-  
 quam ista eius vita me non latet, tamen eum sa-  
 nabo, ducam eum et qui in eo poenitentes sunt  
 et resipiscentes eis benefaciam. Efficiam, ut me  
 laudent. Pacem (dabo), pacem remotis et pro-  
 pinquis, inquit Iehova, sanabo eum. Impii  
 vero similes sunt mari aestuanti, quod quiescere  
 nequit, cuius aquae sordes et coenum eiactant,  
 his nulla pax futura est, inquit Deus meus.  
 Clama pleno gutture, attolle vocem tuam sicuti  
 tuba; ostende populo meo suam iniquitatem et  
 Iacobitis sua peccata. Mihi quidem quotidie  
 cultum suum exhibent, atque praeceptorum meo-  
 rum cognitione videntur delectari, sicut populus  
 religionis studiosus, et qui Dei sui voluntatem  
 non relinquat, interrogant me de eo quod iustum  
 sit, atque lubenter sacris meis interesse videntur.  
 Cur, *inquiunt*, ieiunamus et tu nos non respi-  
 cis? cur nos affligimus et tu hoc non curas? En  
 illa ipsa ieiunia inserviunt cupiditatibus vestris;  
 iniurias vobis illatas severe ulciscimini. Non  
 abstinete a litibus et contentionibus, dum ieiunatis  
 et manu improba alios caeditis. Non ita  
 ieiunatis, ut preces vestrae exaudiri possint. Quid  
 enim? num tale ieiunium mihi probetur, si quis  
 se ipse affligat, aut incedat capite uti iuncus in-  
 curvo, aut centone amictus in cinere sedeat?  
 Num haec dies supplicationum dici mereatur?

- C.LVIII. 6. dies quæ mihi placeat? Nonne sic potius ieiunium, quod mihi probetur, instituendum est, ut vincula solvatis, quæ alios iniuste constringant: ut laxetis lora iugi, ut liberos dimittatis
7. oppressos et rumpatis iuga aliorum. Ut esurienti cibum præbeatis, ut graviter affictos in domos recipiatis, ut male vestitum amiciatis, nec vos
8. subducatis vestris consanguineis. Tunc erumpet instar auroræ lux vestra, sanatio vestra celeriter procedet, præmia pietatis vestrae videbitis, et
9. ego vobis gratus adero. Tunc vos precantes exaudiam, auxilium implorantes illud non differam. Si iuga ista abstuleritis, si deseritis infami
10. digito alios notare et de aliis spargere. Si pauperi vos liberales præbetis, et aliorum egestati succurretis. Tum tenebris vestris lux orietur, et
11. caligo vestra mutabitur in meridiem. Ego vos ducam et satiabo in locis ficcis, et corroborabo. Eritis ut hortus irriguus, ut fons perennis, cui
12. aqua nunquam deest. Restaurabitis loca diu vastata, exstruetis fundamenta per complures generationes duratura, ita ut alii mirabundi videant vos ruinas instaurare, viasque publicas reddere
13. aptas et commodas. Si abstinueritis sabbato a negotiis, quibus res vestras curatis die mihi sacro. Si sabbatum vobis videbitur institutum gratum, et dies mihi sacer reverenter transigendus, ita ut eum vita vestra honoretis, abstinentes a rebus
14. vobis caris, et ne quidem de iis loquamini. Tunc ex cultu meo voluptatem percipietis, atque ego vobis regionem montanam tradam possidendam, et fruemini terra illa Iacobi genitoris vestri.
- C.LIX. 1. Id vero Iehova promittit. Iehovæ quidem manus decurtata non est, quo minus servare, nec auris
2. obtusa, quo minus audire possit. Sed peccata
- cata

cata vestra vos a Deo separant, atque scelera vestra gratiam eius retinent, quo minus eam vobis exhibeat. Manus enim vestrae sanguine contaminatae sunt, et digiti iniquitate, labia mentiuntur, et lingua scelera eloquitur. Nemo iustitiae studet, aut cum fide in iudicio agit. Confidunt rebus vanis, loquuntur falsa, concipiunt molestiam, pariunt iniquitatem. Ova basilisci excludunt et araneorum telas texunt. Qui de ovibus eorum edit, moritur, quodsi exprimantur, erumpit vipera. Telae eorum vestibus conficiendis aptae non sunt, nec possunt se laboribus suis amicare. Sunt enim labores eorum nullius utilitatis, immo noxii aliis. Properant ad mala patrandam, festinant ad caedes committendas, prava tantum cogitant, et quae aliis perniciose sunt, suscipiunt. Ignorant prorsus quae ad veram utilitatem conducant, nec ulla in vita sua aequitate utuntur. Adeo perversa est omnis eorum agendi ratio, ut per eam nemo vera bona curet. Propterea etiam differt (Deus) tam diu ultionem nostram, nec benevolentiam suam nobis exhibet. Lucem exspectamus, sed en tenebras! clarum diem, sed in caligine incedimus. Contrectamus ut coeci parietes, ut oculis capti palpamus, offendimus in ipsa meridie, quasi in crepusculo, rebus vel optimis tam parum frui possumus, quam mortui. Fremimus omnes ut ursi, instar columbarum gemimus, vindictam exspectamus, sed frustra. Salutem, sed procul abest. Multa enim tibi obversantur peccata nostra, immo delictorum et peccatorum nostrorum nos plane conscii sumus. Perfide a Iehova defecimus, deseruimus Deum nostrum, vim et iniuriam suadentes et mendacia solerter excogitata proferentes. Hinc fit

Cap. LIX.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

fit

- Cap. LIX. fit ut vindiciae nostrae differantur, et benignitas (Dei) adeo remota sit. Nam veritas non admittitur et aequitas aditu prohibetur. Immo fides fere sublata est et pius aliorum iniuriis est expositus. Videt hoc Iehova et displicet ei non esse iuris vindicias. Videt, inquam, et obstupescit non adesse virum vindicem. Igitur ipse pro potentia sua salutem praestat, benignitate sua adiutus. Hanc tanquam lorica m induit, salutem ut galeam capiti imponit, vestibus amictus ultionis, zelo tanquam sago opertus. Secundum summe merita rependet i-atus adversariis suis, retribuet hostibus suis, exteris nationibus abunde retribuet. In Occidente Dei potentiam reverebuntur, et in Oriente eius maiestatem. Hoste instar fluminis irruente, ipse Iehova adversus eum vexillum eriget. Veniet Sioni redemptor, illis nimirum e Iacobitis, qui se a peccatis suis averterint. Atque hae sunt promissiones, quas illis dedi, inquit Iehova: Verborum, quae tu, spiritu meo excitatus, protulisti, semper memor sis, cum tu, tum filii tui, tum eorum nepotes ad remotissima usque tempora. Surge, gaude, adest enim tua felicitas, Iehova suam tibi gratiam exhibebit. Aliae quidem terrae et nationes, densis tenebris involutae sunt, tibi vero Iehova orietur, suamque tibi benignitatem praebet conspiciendam. Ita ut gentes huius tuae felicitatis et reges prosperitatis tibi exortae participes fieri cupiant. Attolle circumquaque oculos tuos et vide, isti omnes congregati ad te venient, filii tui e longinquo venient, filiaeque tuae cum cura enutrientur. Tum timore et gaudio, pavore et laetitia agitaberis, quando exterarum nationum divitiae tibi afferentur, et gentes cum suis

suis opibus ad Te venient. Camelorum agmina  
 te opperient, Midianitarum et Ephaeorum cli-  
 tellarii. Ex Saba venient, aurum et thus affe-  
 rentes, et Iehovam laudibus suis celebrabunt.  
 Kedarenorum greges ad te congregabuntur. Na-  
 bataeorum arietes tuis inservient, grata  
 mihi erunt sacrificia, domum enim meam splen-  
 didissime exornabo. Ecqui illi sunt ad instar nu-  
 bis advolantes? tanquam columbae ad columba-  
 ria sua? Me exterae regiones expectant; impri-  
 mis Tartessi naves; quae filios tuos e longinquo  
 afferant cum auro suo et argento in honorem Ie-  
 hovae Dei tui, Israelitarum numinis. Te enim  
 exornabit. Peregrini muros tuos exstruent, eo-  
 rumque reges tibi ministrabunt. Affixi quidem  
 te in ira mea, sed benigne tui iterum miserebor.  
 Portae tuae semper patebunt, nec diu noctuque  
 claudentur, ut liberum aditum apud te habeant  
 gentium copiae earumque regum comitatus.  
 Quaecunque vero gentes aut regna sese tibi non  
 subiecerint, peribunt et destruentur. Cedri Li-  
 bani praestantissimae ad te deferentur, nec mi-  
 nus abietes, ulmi, buxi, ad ornandum sanctua-  
 rium meum: thronum enim meum ornatissimum  
 esse volo. Qui te antea afflixerant, incurvati ad  
 te accedent, supplices sese ad pedes tuos adiicient,  
 qui te spreverant. Eris enim urbs Iehovae, Sion  
 numinis Israelitarum. Pro eo quod deserta et  
 exosa fuisti, quam nemo adiret, efficiam ut  
 perpetuo floreas, semperque gaudere possis.  
 Gentes te nutriant, reges te fovebunt, et sic in-  
 telliges, me Iehovam esse servatorem tuum, et  
 heroem Iacobitarum, redemptorem. Pro aere  
 aurum dabo, pro ferro argentum, pro ligno  
 aes, pro lapidibus ferrum. Dabo tibi praefectos

Ies. Var.

U u u

benignos

- Cap. LX. 13. benignos et praefides sequos. Nihil amplius de violentia in terra tua, nihil de vastatione aut destructione in finibus tuis audietur. Muri tui securitatem praestabunt, et qui intra tuas portas est, gaudebit. Non amplius tibi sol interdiu lucebit, nec luna tibi amplius splendet. Iehova lux tua erit perpetua, et Deus tuus te ornabit. Non occidet amplius sol tuus, nec luna tua disparebit. Ego lux tua ero
19. perpetua, finiti sunt dies luctus. Cives tui omnes pii erunt, perpetui terrae possessores, a me plantati, a me formati in mei honorem. Parvus in mille et natus minimus in numerosam gentem excreset. Ego Iehova suo
- Cap. LXI. 1. tempore id sine mora praestabo. Iehovae spiritu agor. Siquidem ille me destinavit laetum nuntium miseris, mittet me ad consolandum animos fractos, ad adnunciandum captivis libertatem, victisque compedum solutionem,
2. ad indicendum felicem Iehovae beneficio annum, diem ultionis Dei nostri, ad consolationem omnes lugentes. Ad ostendendum, imo etiam ad exhibendum lugentibus Sionitis ornatum pro cinere, unguenta grata pro luctu, amictum gloriosum pro animi moestitia. Similes erunt therebinthis fortissimis et
4. Deo plantatis in laudem ipsius. Etenim aedificabunt loca diu vastata, desolata olim restaurabunt, renovabunt urbes dirutas inde a multis annis destructas. Exteri pascent greges vestros et peregrini agricolae vestri erunt et vinitores. Vos vero sacerdotes Iehovae eritis, ministri Dei nostri; opibus gentium fruemini atque in earum opes vosmet ingurgitabitis.
7. Pro ignominia duplo maiorem consequemini digni-

dignitatem, pro opprobrio ovabitis in terra vestra. Sane in terra vestra duplici potiemini felicitate, aeterna laetitia fruituri. Ego enim Iehova amo iustitiam, odio prosequar rapinam per iniquitatem, dabo eis mercedem promissam, aeternum foedus cum iis pangam. Celebres erunt inter gentes eorum posterum et qui ex eis originem ducunt inter nationes; qui eos viderit, statim in eis agnoscat progeniem a Iehova fortunatam. Vehementer gaudeo de Iehova, exulto de Deo meo. Salute me tanquam veste splendida induit, beneficio me tanquam pallio amicitivit, ut sponsus sibi applicat ornatum, et ut sponsa, quae se ornat mundo suo. Quemadmodum enim terra profert germina aut hortus flores, sic Iehovae beneficio insigni felicitate spectantibus omnibus nationibus Sion florebit.

Sionis causa non filebo, Hierosolymae causa non quiescam, usque dum prodeat ut splendor eius felicitas, et salus eius ardeat instar facis. Hanc tuam felicitatem gentes videbunt et reges tuam gloriam. Novum nomen geres ab ipso Iehova tibi inditum. Iehova te ut coronam decoram, ut cidarim regiam manu sua tenebit. Non te amplius derelictam vocabunt, sed adamatam; nec terram tuam amplius dicent vastatam, sed a domino suo possessam. Iehova enim te amabit, terraeque tuae erit dominus. Quemadmodum enim iuvenis amore fertur in virginem, ita filii tui te desiderabunt. Ut sponsus de sponsa sua laetatur, sic Deus de te laetabitur. In muris tuis, Hierosolyma, custodes collocabo, diu noctuque nunquam quieturos. O vos qui apud Iehovam interceditis (pro Hierosolyma), non desistite. Nunquam in precibus vestris apud eum remittite, do-

Cap. LXII. *nec Hierosolymae illum splendorem concesserit.*

8. Iurat Iehova per dextram suam potentissimam, se nolle unquam in posterum frumentum tuum hostibus diripiendum dare, nec vinum, quod tuo tibi labore constat, peregrinos esse hausturos.
9. Sed qui illud collegerint, eo quoque vescituros esse, Iehovam propterea laudantes, et qui hoc congesseint, id quoque bibituros esse, in atriis
10. Iehovae sacris. Transite, transite portas, parate viam populo, aggerate viam, remotis omnibus lapidibus, signum erigite gentibus. En Iehova remotissimis terris adnunciat: dicite Sioni adesse servatorem eius, qui mercedem iam ante-
11. cepit ut praemiis est potitus. Celebrabunt autem Sionem et populum sanctum, a Iehova redemptos Urbem eam vocabunt valde requisitam, nunquam
12. deferendam. Quis ille qui venit ex Idumaea?

C. LXIII. 1. *rubris vestibus ex Bozra? vestitu splendido, erecto capite incedens pro virtute sua eximia? Ego*

2. defendens veritatem, servator omnipotens. Quare rubet vestis tua sicuti ei qui torcular calcavit?
3. Calcavi torcular solus, nec quisquam e gentibus mihi adfuit. Quos (sc. hostes) cum ego iratus calcarem et in indignatione mea contunderem, conspersa est vestis mea eorum sanguine, et vestitus meus est contaminatus. Diem enim ultionis constitueram, venerat annus, quo meos redimerem. Circumspiciebam, sed non aderat qui iuvaret. Mirabar non esse qui (me) sustentet, tum mea me virtus servavit, indignatio mea me sustinuit. Conculcavi gentes in ira mea, compressi eas in indignatione mea, effuso in terram eorum sanguine. Iehovae benignitatem, eius laudes celebrabo pro tot summis nos collatis beneficiis, pro tot bonis, quae in Israelitas pro insigni sua gratia



gratia et misericordia contulit. Hi sunt, inquit, C. LXIII. 8.  
 meus populus, filii obedientes, igitur eos serva-  
 vit. In adversa eorum fortuna nunquam eis ad- 9.  
 versatus est. Legatus ab eo missus, eos defendit.  
 Pro amore suo et indulgentia eos vindicavit, per  
 complures annos eorum curam gessit singularem.  
 Illi vero per contumaciam suam graviter offende- 10.  
 runt eius sanctitatem, hinc factus est eorum ad-  
 versarius, ut eos ipse impugnaret. Recordatur 11.  
 tur populus eius priscorum temporum Mosis.  
 Ubi est, inquit, is, qui eum per mare duxit, una  
 cum reliquis coetus sui ducibus? ubi est, qui  
 quosdam ex eo eximiis dotibus instruxit? qui 12.  
 Mosen potenter et gloriose duxit, qui mare ante  
 eos fidit, eoque aeternam sibi gloriam compara-  
 vit. Qui eos per profunda maris duxit sicuti 13.  
 equum per loca campestria, ita ut non offende-  
 rent. Uti pecus in vallem descendit (Iehova eum 14.  
 reddidit imperterritum): ita tu populum tuum  
 duxisti in perpetuam nominis tui laudem. Pro- 15.  
 spice e coelo, vide e sede tua sanctissima et glo-  
 riosissima. Ubi est zelus ille tuus, quem olim  
 potenter ostendisti? amorem tuum intentum et  
 misericordiam videris nobis prorsus subtrahere.  
 Attamen tu es pater noster. Etenim Abrahamus 16.  
 nos ignorat, et Israel nos non curat. Tu vero,  
 o Iehova, es pater noster et redemptor inde a tem-  
 poribus antiquissimis. Quare permitteres, ut de- 17.  
 flecteremus a viis tuis? ut in animis nostris sen-  
 sus religionis occallesceret. Redi ad cultores tuos  
 et tribus tibi sacras. Propemodum sibi subiece- 18.  
 runt hostes nostri populum tibi sacrum, diripue-  
 runt sacrarium tuum. Similes sumus eis, quibus 19.  
 tu nunquam imperasti, qui nunquam de nomine  
 tuo sunt vocati. Utinam coelo fisco descenderes

- Cap. LXIII. montesque ob adventum tuum loco suo dimove-
- C. LXIV. 1. rentur; quemadmodum ignis fomites conflagrat, aut aquam ebullientem efficit; ut hostes tui, tuam potentiam agnoscerent, et gentes propter
2. te contremiscerent, dum insperata nobis faceres miracula, si ad adventum tuum montes dimove-
  3. rentur. Nunquam enim vel audiendo vel viden- do aliquis percepit, praeter te, o Deus, quae fa- cere potes in salutem eorum, qui tibi confidunt.
  4. *Utinam* invenires *inter nos*, qui libenter pietati studerent, et tuarum viarum recordarentur. Sed ecce irasceris, nam diu iam ab iis aberravimus.
  5. Quomodo igitur salvi esse possumus? Nos omnes fumus uti immundi, ut vestis contaminata est iu- stitia nostra, decidimus ut folia, a peccatis nostris
  6. tanquam a vento abrepti. Nemo te invocat, ne- mo ad te reconciliandum festinat. Igitur nobis quoque gratiam tuam subtraxisti. Tradidisti nos
  7. peccatis nostris. Attamen, o Iehova, tu es pater noster, nos lutum sumus, tu figulus, nos
  8. omnes formasti. Ne nimium irasceris! ne in perpetuum iniquitatis nostrae recorderis. Respice,
  9. quaesumus, ad nos, tuum populum. Urbes tibi sacrae, sunt desertae, Sion vastata est, Hierosoly- ma destructa. Aedes sacra, decus nostrum, in
  10. qua te maiores nostri celebrarunt, igne combusta est, et loca nobis gratissima desolata iacent. An
  11. ad haec te continebis, o Iehova, filebis et nos ni-
- Cap. LXV. 1. mium affliges? Quaeror ab iis qui me *antea* non quaesiverunt, reperior ab iis, qui me non deside- rarunt, effero me genti, quae me non invocavit.
2. Expandi etiam manus meas quotidie ad gentem rebellem, quae vitae rationem sequebatur pessimam suis consiliis obtemperans. Quae iram meam perpetuo provocabat. Homines sacrifican- tes

tes in hortis et in tectis suffitum offerentes. Ad C.LXV. 4.  
 sepulcra sedentes et in speluncis pernoctantes, ve-  
 scentes carne porcina, et frustra sacrificiorum tur-  
 pissimorum in vasis suis *gestantes*. Qui alios ad- 5:  
 tu prohibent, ne propius, inquires, ad me ac-  
 cedas, nam sum initiatus: isti fumante irae meae  
 igne, perpetuo ardebunt. Etenim decrevi non 6.  
 diutius differre eorum poenam. Sed rependam,  
 immo abunde rependam. Non solum vestra pec- 7.  
 cata, sed maiorum etiam vestrorum, inquit Ieho-  
 va, qui in montibus sufferunt et in collibus me  
 probro affecerunt. Retribuam eis abunde quae  
 commiserunt. Haec dicit Iehova: quemadmo- 8.  
 dum uva, in qua mustum reperitur, non corrup-  
 pi solet, propter bonum illud quod continet; sic  
 ego quoque agam propter cultores meos, non  
 omnes perdam. Sed efficiam ut ex Iacobitis et 9.  
 Iudaeis quidam supersint, qui montes mihi sacros  
 teneant, immo dilecti mei eos possidebunt, mei-  
 que cultores ibi habitabunt. In Sarone greges 10.  
 degent et in valle Achoris armentum cubabit po-  
 puli me colentis. At vos, qui me relicto mentis 11.  
 quoque mihi sacri obliviscimini, qui Soli mensam  
 instruitis et Lunae libamina paratis, gladio vos 12.  
 addicam, supplicio vos omnes efficiemini, quo-  
 niam mihi vocanti non respondistis, loquenti non  
 auscultastis, fecistis, quod mihi displiceret, et  
 quod vehementer improbarem, egistis. Propter- 13.  
 ea haec dicit dominus Iehova: Mei cultores edent,  
 vos esurietis, bibent, vos sitietis, gaudebunt de  
*felici rerum suarum successu*, vos spe vestra excide-  
 tis. Illi prae animi sui voluptate ovabunt, vos 14.  
 prae mentis vestrae dolore conqueremini, immo  
 eiulabitis prae nimia animi vestri consternatione.  
 A vobis imprecationis formulam sument amici 15.  
 mei:

- Cap. LXV. *mei: ita te dominus Iehova perdat! De meis ve-*  
 16. *ro cultoribus alia formula adhibebitur. Nimi-*  
*rum qui bene precari aliis voluerit, faciet hoc per*  
*Deum Fidum. Et qui iuraverit, per Deum Fi-*  
 17. *dum iurabit, priorum enim calamitatum, erit*  
*oblivio, auferentur e conspectu meo. En! no-*  
*vum coelum et novam terram creabo, priorum*  
 18. *non amplius recordabuntur aut eorum memoriam*  
 19. *recolent. Sed perpetuo gaudebunt et exulta-*  
 20. *bunt propter ea quae sum creaturus. Efficiam*  
*enim, ut Hierosolyma exsultet et incolae eius*  
*gaudeant; immo ipse ego laetabor de Hierosoly-*  
 21. *ma eiusque incolis. Non amplius luctus aut*  
*clamores in ea audientur. Non nascetur ibi in-*  
*fans ad paucos dies vivens, nec senex erit, nisi*  
*qui summam aetatem attingat. Puer habebitur*  
*qui centesimo anno morietur, et qui centenario*  
 22. *minor obierit, singulari Dei iudicio videbitur*  
*sublatus. Domos, quas exstruxerint, habitabunt,*  
*et vinearum ab eis confitarum fructus quoque*  
 23. *percipient. Non aedificabunt domos, quas alii*  
*inhabitent, nec vineas plantabunt, quarum pro-*  
*ventu alii vescantur. Populus enim meus in*  
*aetate sua similis erit arboribus, et quod labora-*  
 24. *verint dilecti mei, eo etiam fruentur. Non in-*  
*cassum laborabunt, nec liberos gignent infelices;*  
 25. *cum ipsi, tum eorum posteri felices erunt meo*  
*beneficio. Antequam me invocant, ego exora-*  
*bor, et adhuc loquentes exaudiam. Lupus et*  
*agnus una pascent, leo cum bove vescetur strami-*  
*ne, et serpens pulverem comedet. Nemo nocet*  
 C. LXVI. *alteri, nemo damnum inferet in monte meo*  
*sancto, inquit Iehova. Haec dicit Iehova:*  
*Coelum thronus meus est, et terra pedum meo-*  
*rum scabellum, qualem igitur domum mihi ex-*  
*struetis,*

structis, aut qui locus erit in quo quiescam? Ef. C. LXVI. 2.  
 feci ut ista omnia existerent, inquit Iehova. Re-  
 spicio humilem, animo afflictum, meorumque  
 praeceptorum referentem. *Nisi quis iua est affe-* 3.  
*ctus,* qui bovem immolat, non magis mihi placet,  
 quam qui hominem interficit; qui agnum sacrifi-  
 cat, quam qui canem iugulat; qui fertum affert  
 quam qui sanguinem porcinum affert; qui thus  
 adolet, quam qui in dolo suffitum facit. Cum  
 igitur istis sua agendi ratio valde placeat, atque  
 adeo turpissima sua vita delectentur, ego quoque 4.  
 e malis eorum voluptatem capiam, et quod ti-  
 ment, eis adducam, quoniam me vocantem nolue-  
 runt audire, neque dicitis meis obtemperare; sed  
 potius fecerunt quae mihi displicerent, et quae  
 vehementer adversarer, ea prae aliis elegerunt.  
 Vos vero, qui Iehovam reveremini, audite quae 5.  
 dicit: Dicunt quidem fratres vestri vos odio per-  
 sequentes et coetibus suis eiicientes: a nobis  
 Deus digne colitur. Sed fiat ut nos de vestra fe-  
 licitate gaudere possimus, cum isti confundantur.  
 Auditor tumultus ex urbe, clamor ex templo, 6.  
 vox Iehovae rependentis suis hostibus. Sed pa- 7.  
 riet Sion antequam parturiant, antequam partus  
 dolores sentiat marem enitetur. Quis hoc un- 8.  
 quam audivit? aut tale quid vidit? Ut uno die  
 terra oriatur, ut gens simul existat. Sed Sion vix 9.  
 enixa peperit natos suos. Num ego qui *in aliis*  
*partum* promoveo, ipse non pariam? inquit Ie-  
 hova. Num qui alias foecundas reddo, ipse ero  
 sterilis? dicit Deus tuus. Laetamini de Hieroso- 10.  
 lyma, gaudete de ea omnes eius amici, vehe-  
 menter de ea gaudete, omnes qui antea eam lu-  
 xistis. Percipite iam solatium, quod abunde vo- 11.  
 bis suppeditabit. Participate de voluptate eius,

- C.LXVI.** 12. qua ex dignitatis suae splendore utitur. Haec enim Iehova promittit: Magnam ei felicitatem largiar. Aliarum gentium divitiae in ea confluent, his iam fruamini. Illa quidem materno
13. amore vos suscipiet, fovabit, sustentabit. Ut filium mater solatur, ita vos solabor, dum ex Hierosolyma solatium percipietis. Quare cum videritis, gaudebitis, et membra vestra instar graminis virescent, potentiam enim meam sentient mei
14. cultores, uti indignationem mei adversarii. In igne vero apparebo, tempestate tanquam curru vectus, magna cum irae vehementia rependam,
15. mea iudicia ignes erunt flammantes. Immo cum flamante gladio iudicia exercebo in omnes homines, et magnus erit numerus a me occisorum.
16. Qui semet consecrant et purificant in lucis, Achadum palam sectantur, qui carnem suillam, alia abominanda, et mures comedunt, ad unum omnes auferentur, inquit Iehova. Novi enim omnia quae agant et cogitent. Instat tempus, quo omnes gentes et nationes congregentur, ut meam
17. videant maiestatem. Signum eis dabo, nempe mittam quosdam ex illis qui servati sunt ad gentes Tartesium Phulem et Ludum, sagittarios, Thubalem et Iavanem, ad terras remotissimas, quae nihil unquam de me audiverunt, nec de mea maiestate cognoverunt, ut eam his gentibus annuntient. Illi igitur adducent magnum fratrum vestrorum numerum ex omnibus gentibus mihi, ut oblationem, cum equis, curribus, pilentibus, mulis et dromadibus, ad montem meum sanctum Hierosolyma, inquit Iehova, quemadmodum Israelitae oblationes offerunt in vasis mundis ad templum meum. Atque ex illis quosdam sacerdotes et Levitas constituam, inquit Iehova.
18. Quem-

Quemadmodum enim coelum novum et terra nova, quae creatus sum perpetuo durabunt; ita etiam progenies et memoria vestra persistent. Tum singulis mensibus et singulis sabbathis omnes homines liberum coram me aditum adorandi habebunt. Et videbunt cadavera istorum defectorum ad aeternos cruciatus, et perpetuum ignem damnatorum, foras proiecta cum detestatione.

23.  
24.




---

L I P S I A E

EX OFFICINA SOLBRIGIANA.

The following is a list of the names of the  
 persons who have been appointed to the  
 office of Justice of the Peace for the  
 year 1808. The names are arranged in  
 alphabetical order.











